SCRITTORI D'ITALIA

GIAMBATTISTA VICO

# LE ORAZIONI INAUGURALI
# IL DE ITALORUM SAPIENTIA
# E LE POLEMICHE

A CURA DI

G. GENTILE E F. NICOLINI

BARI
GIUS. LATERZA & FIGLI
TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI
1914

SCRITTORI D'ITALIA

G. B. VICO

# OPERE

I

GIAMBATTISTA VICO

# LE ORAZIONI INAUGURALI
# IL DE ITALORUM SAPIENTIA
# E LE POLEMICHE

A CURA

DI

GIOVANNI GENTILE E FAUSTO NICOLINI

BARI
GIUS. LATERZA & FIGLI
TIPOGRAFI-EDITORI-LIBRAI
1914

# I

# ORAZIONI INAUGURALI

dal 1699 al 1707

## DE STUDIORUM FINIBUS
## NATURAE HUMANAE CONVENIENTIBUS

### ORATIO I.

Ut mentis divinam vim usquequaque excolamus.

### ORATIO II.

Ut animum virtute et sapientia conformemus.

### ORATIO III

quae est priorum appendix quaedam.

Ut simulatam et vanam eruditionem fugiamus.

## DE FINIBUS POLITICIS

### ORATIO IV.

Ut quisque communi civium bono erudiatur.

### ORATIO V.

Ut armorum gloriam et imperii amplitudinem literis augeamus.

## DE FINE CHRISTIANO

### ORATIO VI.

Ut corruptam emendemus naturam,
et humanam societatem, quo latius fieri possit, adiuvemus.

## ORATIO I

habita XV kal. novembris anno MDCIC
cuius argumentum:

*Suam ipsius cognitionem ad omnem doctrinarum orbem brevi absolvendum maximo cuique esse incitamento.*

Multa quidem sapienter a maioribus nostris inventa atque instituta sunt, quibus haec civitas fundata ad bene beateque vivendum ordinaretur; sed nullum aeque praeclarius quam quod, cum nobis anniversarium hunc diem ad studiorum exercitationem per aestivas ferias intermissam de integro repetendam constituissent, cum oratione habita, qua adolescentes ad labores alacri animo capessendos exhortaremur, inaugurari voluerunt. Cum enim natura ita comparatum sit, ut homines a labore ad ocium sint proclives et ardua detrectent et consectentur prona, res sane exposcebat, immo efflagitabat, ut ad ingenuas artes scientiasque, quae nonnisi summa animi contentione, maximis vigiliis ac sudoribus, obstinata assiduitate et acri diligentia comparantur, aliquo argumento confirmarentur. Itaque omnes pacatae civitatis fructus, qui magna ex parte in huiusmodi studiis excolendis sunt positi; omnes, inquam, in hoc utilissimo instituto, ut in semine arbores, continentur. At vero illud est beatissimum huius seculi ingenium, ea literarum, et potissimum in hac civitate, fortuna, ut ab ineunte pueritia homines miro quodam et incredibili literarum desiderio teneantur; nec sane vulgarem quandam et de medio sumptam eruditionem in speciem tantum affectent, sed sanctiorem penitioremque, variam et multiiugam rerum notitiam studio assequi et disciplina nitantur. Quae quidem cum mecum ipse ad punctum temporis cogitarem, cum id mihi munus a magistratu, in cuius manu ac potestate pro tempore haec res est, paucis abhinc diebus iniunctum esset, quamquam id, ut satis importune indictum et extra

ordinem, pro meo iure declinare possem, tamen, quia nihil arduum, nihil laboriosum, nihil difficile id esse opinabar, subeundum perquam libenter suscepi. Facile enim factu putabam homini quamlibet indiserto infantique id esse, oratione ad bonarum studia literarum adolescentes impellere, qui sic animati huc accederent audituri, ut in iis expetendis modum haudquaquam servent et laudabilem quandam animi intemperantiam prae se ferant. Verum enimvero summum summo viro obsequendi studium me in hanc sententiam inconsulto sane consilio abduxit et impulit. Etenim postea mihi haec ipsissima rationum momenta recta via reputanti, ea mihi me non modo non admonere, sed absterrere etiam ab incoepto visa sunt. Quandoquidem non ii vos estis, o magnae indolis iuvenes, quos ad sapientiae studia iis argumentis duci oporteat et par sit; quod ad eas artes animum appellatis quibus, si quis utilitatem sequatur, nihil fructuosius, sive oblectationem, nihil suavius ac iucundius, sive splendorem et amplitudinem, nihil illustrius et ad struendam nominis immortalitatem firmius ac stabilius inveniri potest. Isthaec enim argumenta vobiscum domo huc attulistis, eaque vulgaria et cuique obvia esse existimatis. Maius quiddam a me hodierno die expectatis ut dicam; potissimum cum non adeo pusillum gestetis in pectore animum, ut is uno aliquo ac singulari doctrinae genere delectetur, eoque duntaxat contineri patiatur. Eo namque provecta est vos inter praeclara sciendi, liceat dicere, libido, ut nemo apprime eruditus apud vos habeatur, qui non in omni doctrinarum orbe exquisite versatus sit, nec ulla sit disciplina quam non ad unguem perdidicerit, et perdidicerit ita ut in unaqualibet sola omnem aetatem laborasse videatur. Quid ipse igitur adferam vestra expectatione dignum, auditores, qui generosos huius iuventutis animos expleam, quod infra et spem vestram et istorum dignitatem non sit? quid dignum hoc sanctissimo sapientiae sacrario? quid dignum hoc amplissimo atque ornatissimo ad dicendum loco, quem nunc primum insolens conscendi dicturus? Sed iste frequens consessus vester, confertissima haec corona, istaec vestra omnium summa alacritas, vultu et aspectu significata, me haerentem excitat et non reficit modo

et confirmat, sed ad altiora etiam erigit et extollit, ut argumentum vobis hodie proponam, quo potissimum uno adiuncta bonarum artium et scientiarum genera brevi perdiscenda singuli vestrum sese pares esse cognoscant ac satis superque sufficere; cuius argumenti, ut ita dicam, sphaera in hoc axe et cardine omnis circumrotatur: sua ipsius cognitio ad omnem doctrinarum orbem brevi absolvendum maximo cuique est incitamento. Vos itaque, flos et soboles ingenuae iuventutis, ad quos praecipue haec mea oratio dirigitur, hoc agite et animis adeste; nam, vestra benignitate fretus, me spero effecturum, ut hodiernus dies et mihi pulcherrimi facti et vobis ingentis beneficii fructum obtulisse videatur.

Inter multa et sapientissima, quae celebrantur vitae ad beatitudinem instituendae, praecepta, illud omni ex parte absolutum et totum ad eam rem factum videtur, quod duabus voculis comprehensum aureis literis in templo Apollinis Delphici consecravit antiquitas: Γνῶθι σεαυτόν, « Temet nosce ». Scitum sane tanta refertum et cumulatum laude, ut, quamvis complures ad Pythagoram, multi ad Thaletem Milesium, ad Biantem alii, alii ad Chilonem Lacedaemonium retulerint, omnes profecto humanae sapientiae columina omnium ferme calculis reputatos; tamen, cum tam pressa verborum brevitate tantam bonae frugis copiam contineret ut nihil supra, ab hominibus quamlibet sapientissimis abiudicatum est, et Pythio oraculo summa omnium consensione attributum. Nec vero tanta esset eius dicti celebritas, si, ut vulgo opinantur, ad reprimendam animorum elationem atque humanam superbiam infringendam id forte esset excogitatum, quandoquidem innumera et propemodum infinita ubique locorum prostant humanae imbecillitatis miseriaeque argumenta. Prodeat sapientum eloquentissimus, eloquentum sapientissimus Cicero, et coelsissimo illo ore divinam eius dicti vim explicet: « Nosce te dicit. Hoc dicit: Nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est aut aliquod animi receptaculum; ab animo tuo quicquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi divinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam mentis praeceptum, sic ut tributum Deo sit ». Sat Tullius, ut nos intelligamus

sapientissimum hoc effatum eo potius respicere, ut homines, quorum divina ingenia verecundia humi affligit, diffidentia sui premit, magnarum rerum desperatio conterit, ad grandia quaeque et sublimia, quibus pares sunt et sufficiunt, excitentur et erigantur. Temet igitur nosce, adolescens, ad sapientiam factus ut sapientiam assequaris.

At inquies: — Magnus ingenii conatus est revocare mentem a sensibus, et a consuetudine cogitationem abducere. — Esto: at vero magnorum conatuum magni aeque solent esse profectus. Tute igitur collige et temet nosce; nosce animum tuum; et quam egregium, quam eximium, quam praestantem agnoveris, nisi tute tibi imponas, fateare. At mentis acies, quae omnia invisit, se ipsam intuens hebescit. Vel hoc ipso agnoscis animi tui divinitatem, eumque Dei Opt. Max. simulacrum esse animadvertis. Ut enim Deus per ea, quae facta sunt atque hac rerum universitate continentur, cognoscitur; ita et animus per rationem, qua praestat, per sagacitatem et motum, per memoriam et ingenium divinus esse percipitur. Expressissimum Dei simulacrum est animus. Ut enim Deus in mundo, ita animus in corpore est. Deus per mundi elementa, animus per membra corporis humani perfusus; uterque omni concretione secreti omnique corpore meri purique agunt. Et Deus in mundo, et in corpore animus ubique adest, nec usquam comprehenditur: Deus enim in aethere movet sidera, in aëre intorquet fulmina, in mari procellas ciet, in terra denique cuncta gignit; nec coelum, nec mare, nec tellus Dei circumscriptae sunt sedes: mens humana in aure audit, in oculo videt, in stomacho irascitur, ridet in liene, in corde sapit, in cerebro intelligit, nec in ulla corporis parte habet finitum larem. Deus complectitur et regit omnia, et extra Deum nihil: animus, ut cum Sallustio loquar, « rector humani generis, ipse agit atque habet cuncta, neque ipse habetur ». Deus semper actuosus: semper operosus animus. Mundus vivit quia Deus est; si mundus pereat, etiam Deus erit: corpus sentit quia viget animus; si corpus occidat, animus tamen est immortalis. Tandem Deus naturae artifex: animus artium, fas sit dicere, deus. O animi praestantiam singularem, quae, nisi per Dei Opt.

Max. similitudinem, accommodate et apposite explicari non possit! Agnovistis similitudinem animi, agnovistis naturam. Est enim divina quaedam vis cogitandi, cuius quanta est, Deus immortalis, velocitas! quam celeres motus ac plane ignei! quam varia, diversa et multiplicia munia! quanta dexteritas et solertia! Atque utinam adeo densum et multiplex orationis genus mea mihi Minerva effinxisset, ut animi virtutes, quemadmodum vos cogitatione, ita ego verbis assequi possem!

Digitum itaque ad eas duntaxat intendam: vos de iisdem quam maximae sint iudicatote. Principio quid illud, quod uno eodemque temporis momento res dissimillimas per sensus, veluti nuncios, comprehendimus; atque, in unoquoque earum genere acerrimus iudex, animus discrimina animadvertit tot tamque varia, ut, quo plura internoscat, eo minora referre valeat? Nam quae usquam floruit lingua, cui tanta esset verborum copia, ut singulos colores propriis verbis donarit? sapores omnes sua quemque nota distinxerit? non odores omnes paucis, iisque alienis vocabulis designarit? Vis vero illa rerum imagines conformandi, quae dicitur « phantasia », dum novas formas gignit et procreat, divinitatem profecto originis asserit et confirmat. Haec finxit maiorum minorumque gentium deos; haec finxit heroas; haec rerum formas modo vertit, modo componit, modo secernit; haec res maxime remotissimas ob oculos ponit, dissitas complectitur, inaccessas superat, abstrusas aperit, per invias viam munit. At quanta et quam incredibili velocitate? Dixerim Magellanicam terram, iam peragrastis; protulerim Novam Zemblam, iam accessistis; commemorarim Oceanum, iam tranastis; coelum nominarim, iam, ut cum poëta loquar, « moenia mundi » excessistis. Et solis itinera miramur adhuc, ad quae conficienda quatuor supra viginti horarum spacium insumit; et sunt tamen gentes, quae cum eo menstruas noctes expostulent et querantur!

Sed haec minora, quae de divina mentis humanae vi dici possunt. Etenim facultas illa percipiendi quam acris! illa componendi secernendique quam solers! ratiocinandi illa quam velox! Dum tralacionem, quam tantopere commendat Aristoteles, profero, et vini pateram « Bacchi clypeum » appello, quot et quam

celeres motus in cuiusque vestrum dicto citius excitari. Videt enim quisque vestrum primo hinc Martem, hinc Bacchum; deinde hinc clypeum, hinc pateram intuetur. Statim illico Martem cum clypeo, Bacchum cum patera componit, et Martem armatum clypeo, Bacchum gestantem pateram cernit; ibi tum e regione quodque sua, Martem et Bacchum superna, pateram et clypeum inferna confert; atque illico, terrae locos omnes percurrens, ab illo caussarum desumit finem, et cum clypei tum paterae proprios usus considerat, illius hostes, huius autem sitim arcere; et continuo similitudinem adhibet, quod uti Mars clypeo, ita Bacchus patera utatur, ille ut hostes, hic vero ut arceat sitim; et praeterea clypei pateraeque figuras confert, easque in genere rotundarumque rerum congruere animadvertit! Hinc extemplo transversum graditur, et has quatuor formas decussat; et sinistrorsum prius Marti pateram, dextrorsum deinde Baccho clypeum appingit, ut postremo clypeum pateram Martis, pateram clypeum Bacchi esse cognoscat.

O quam infra dignitatem de animi motibus hactenus edissertasti, Philosophia, quae hoc mentis opus inter primas eius perceptiones accenses, cum tot in eo et tam variae compositiones et ratiocinationes inesse videantur! At etiam vis, qua mens humana res inter se componit aut a se invicem secernit, tanta est, ut, qua dexteritate et solertia praedita sit, a quovis eloquentissimo, nedum a me, explicari unquam possit. Etenim quid est quod uno oculorum obtutu turpitudinem in rebus aut deformitatem videmus, nisi quod ad temporis punctum omnia, ut exemplo utar, humani corporis membra intuentes contuentesque, ea inter se componimus et ordinamus, omniumque commensum aptitudinemque conspicimus, et quid congruat, quid alienum sit, quid desit aut superet animadvertimus, ita ut quot sunt corporis partes (sunt enim propemodum infinitae), tot sint uno temporis momento efformata iudicia? Quid item illud quod, statim atque animus eam attingit aetatem, ut ratione, cuius est particeps, uti possit, in eo Dei Opt. Max. religio protinus excitetur? Quid? Seipsum novit. At vero divina philosophia longum argumentationum contextum longamque seriem deducit, et ut alii alia

nectatur, ac omnes inter se aptae rationes et colligatae sint, explicat, quibus homo, vixdum profari potest, a sui ad Dei cognitionem graditur et ascendit.

Date paulisper animum in ditionem meam, auditores, et philosophiam nobis nostrorum animorum divinitatem demonstrantem et commonstrantem audiamus.

Etsi de omnibus omnino rebus mens humana haereat dubitetque, nullo usquam pacto ambigere potest quod cogitet, nam id ipsum ambigere cogitatio est. Cum itaque nequeat se non cogitationis consciam agnoscere, ab ea cogitandi conscientia conficit primum quod sit res quaedam; nam, si nihil esset, qui cogitaret? Deinde sibi infinitae cuiusdam rei notionem esse insitam sensit; tum adsumit tantundem in caussa esse oportere quantum in re est, quae ab ea caussa producatur: hinc denuo colligit eam infinitae rei notionem a re quae sit infinita provenire. Heic se finitum et imperfectum agnoscit: itaque infert eam notionem sibi ab infinita quadam re, cuius ipse aliqua sit particula, obortam esse. Hoc explicato, adsumit: — Quod infinitum est, in se continet omnia, nec a se quicquam excludit. — Hinc rursus complectitur, eam notionem sibi esse a natura omnium perfectissima ingenitam. Proponit iterum: — Quod perfectissimum est, id omnibus est perfectionibus cumulatum. — Colligit denuo: — Itaque ab eo nulla secreta est. — Ad haec assumit: — Perfectio est quid esse. — Tandem denique concludit: — Est igitur Deus. Cumque Deus sit omnia, est omni pietate dignus. — O mira mentis humanae vis, quae, in se ipsam conversa, ad cognitionem summi boni, Dei Opt. Max. nos perducit!

Haec vestrum aliquis forte mirabitur, et iuratus negabit se id aetatis, nedum puerum, per hanc rationum, ut ita dicam, cathenam, ad Dei cognitionem pervenisse. Pervenit is, pervenit; sed animum non advertit. Quivis vestrum cottidie tabulas pictas intuetur, sed innumera non videt quae pictores observant; cottidie symphonias et cantus audit, sed quam multa eum fugiunt, quae exaudiunt in eo genere exercitati! Quid ita, quid? quia artem videndi aut audiendi, picturam vel musicam, non adhibuit advocatam. Quivis vestrum puer maximo praelusit philosopho;

sed quia ei deerat philosophia, haudquaquam animadvertit. Neque sane philosophi, historici, oratores, poëtae, qui aeternam sibi doctissimorum laudem hominum pepererunt, ulla alia de caussa summo habentur in precio, quam quod ad quae animi humani natura fert, rectius quam alii animum acriusque adverterunt. Haec, ut vidimus, est animi ratiocinantis velocitas, qui lusorii turbinis instar, cum videtur stare, tum maxime movetur.

Sed quid ego iocularias res parum ex dignitate gravissimam explico; quin potius cum sole maximo aeternorum luminum fonte compono, qui, cum quiescere videtur, tum longissima itinera conficit? Sed ego maiore etiam quodam modo memoriam admiror; nam quid admirabilius ac divinius quam is copiosissimus rerum ac verborum in mente humana thesaurus? At quam cito, Deus immortalis, locupletamus! ut, bimuli aut summum trimuli, omnia verba et res, quibus communis vitae usus continetur, memoriter meminerimus, quae si quis lexicographus in ordinem redigere et componere velit, amplissima librorum volumina perscribat necesse est. Quid vero illa, quae aut singularem utilitatem aut summam admirationem hominibus voluptatemve attulerunt, nonne ethnici homines, suimet ipsorum ignari, sive ad deos quosdam retulerunt, sive deorum dona esse existimarunt? Leges, quod iis vitae societas conservetur, « deorum donum » Demosthenes dixit; at eae donum humani animi vestrum similis fuit. Socrates moralem philosophiam de coelo dictus est devocasse; at is potius animum in coelum intulit. Medicinam Graecia ad Apollinem retulit, eloquentiam ad Mercurium; at ii homines ut quivis vestrum fuere. Orphei lyra, Argus navis, inter sidera invecta, vestras hominum mentes luculento testimonio caelestes esse confirmant. Et, ut hanc rem omnem brevi complectar, dii omnes, quos ob aliquod beneficium in hominum societatem collatum coelo appinxit antiquitas, vos estis. O mira sui ipsius cognitio, quam alte nos effers et evehis! Est vobis omnibus, auditores, animus suus cuique veluti Deus: divina vis est quae videt, divina quae audit, divina quae rerum formas gignit, divina quae percipit, divina quae iudicat, divina quae colligit, divina quae meminit. Videre, audire,

invenire, componere, inferre, reminisci, divina. Sagacitas, acumen, solertia, capacitas, ingenium, velocitas mira, magna, divina.

Cum haec ita sint, et homines tot, tanta ac tam praeclara habeant ad sapientiam comparandam a natura praesidia, quid illud est quod eos a pulcherrimis literarum studiis retardat ac remoratur? Quae admiratio eo maior mihi esse solet, quod imprimis hominis propria sit inquisitio veri, qua cottidie avemus aliquid videre, audire aut discere, et summa perfundimur voluptate ubi, de rebus novis vel occultis, quid in iis syncerum certumque sit deprehendimus. Natura enim nos ad veritatem fecit, ingenium ducit, admiratio sistit; ut vere intuenti mihi illud sit magis mirum ignaros esse tam multos. Quandoquidem, ut fumus oculis, stridor auribus, naribus foetor adversus est et infestus, ita errare, nescire, decipi humanae menti inimicum. Istius notae homines haudquaquam se norunt: ignorant divinam animi vim, quid possint praestare non tenent. Idque adeo abiecti in rerum altissimarum ignoratione iacent, quia animi facultatibus, tamquam alis, ad sublimia quaeque se nunquam librare tentarunt. Alii

possunt, quia posse videntur;

nobis non videtur posse, qui possumus? Experiamur itaque quid possimus, et facile habebimus quid potuimus. Excitemus illas nobis tot rerum atque tantarum a prima veritate insitas et quasi consignatas notiones, quae in animo, tamquam igniculi sepulti, occluduntur; et magnum cunctae eruditionis incendium excitabimus. Vulgata enim est de illo Socratis puero apud Platonem historia, qui, ad facillimas notissimasque philosophi interrogatiunculas gradatim respondens, de quadrati dimensione apodixem geometricam, omnis geometriae ignarus, expressit. Vobiscum sunt, vobiscum scientiae omnes, adolescentes, si vosmet ipsos recte noveritis, fortunatissimi. Nihil restat, nisi ut ad eas animum intendatis. O insignem desidiosorum ignominiam, eos sapientes non esse! Cur? quia noluerint; quando, ut sapientes simus, id voluntate maxime constat, cuius quanta et quam mira vis est et efficacia poëtae declarant: qui, dum grandia quaedam

et sublimia phantasiae ope apprehendere student, ad ea vehementer intendunt animum; quo, voluntatis conatu alienati, ea numeris mandant, quae, cum motus ille animi eos, veluti quidam ventus, defecerit, superioris cuiusdam mentis vix sua esse credant. Quamobrem sic existimatote: si animi neque inter cupiditates pravasque affectiones distrahuntur, fieri nullo pacto potest quin, si ad sapientiae studia adiungantur, quicquid unquam eruditionis ab egregiis auctoribus repertum ac traditum fuerit, id brevi universum perceptum et cognitum quam facillime habeant; sin applicati, nihil tamen quicquam parumve profecerint, aut iis doctorum copia facta non est, aut bene nata eorum ingenia instituentium vicio perierunt; sin et praeceptorum locus factus sit et recta eorumdem institutio fuerit, neque tamen omnem scientiarum orbem absolverint, eos alio argumento ad scientias ediscendas ductos esse necesse est, et aut utilitate allecti ad hanc, aut iucunditate ad illam, aut splendore ad aliam applicarunt. Sed ea vobis doctorum copia hac aetate felicissima suppetit, ut doctior hac, eruditior contigerit antea nemini. En ut honestissimo ordine collocati assidunt ut vobis praesto sint, et quas disciplinas summis vigiliis et sudoribus compararunt, eas vobis simplici via, ordinata methodo et bona fide commendare et credere possint. Hi amplissimi magistratus honoribus summis, quos incredibili prudentia sapientiaque gerunt, iis, utpote studiorum suorum praemiis bene partis, ad haec studia vos alliciunt, ut deinde ad rempublicam in partibus vobis credendis accedatis. Hoc ocium, quod nobis Carolus secundus, potentissimus Hispaniarum rex, facit, ad pacis et tranquillitatis fructus capiendos, qui magna ex parte in hisce artibus locati sunt, vos invitat. Universi ordines, dum studiis et officiis, civitas cuncta, dum onore et laude eruditum quemque virum prosequitur, vos eruditissimos esse cupit. Scatent omnia ad bonas artes addiscendas exemplis, stimulis omnia abundant, omnia diffluunt incitamentis, copia doctissima suppetit, locus amplissimus datur; vos ad omnem eruditionem facile ac brevi perdiscendam nati et facti estis. Quid igitur reliquum est? Ne nolitis.

## ORATIO II

habita XV kal. novembris anno MDCC
cuius argumentum:

*Hostem hosti infensiorem infestioremque
quam stultum sibi esse neminem.*

Si quis forte vestrum, hanc rerum universitatem cogitatione et mente complexus, cuncta sane, quae coelo, terra marique continentur, ea certo notoque foedere sibi omnia constare, et quod cuique semel a mundi primordiis attributum est munus, id uno aequabilique, ut aiunt, tenore fungi, et perennes, ad quos nata sunt, usus afferre animadvertat; is plane ea omnia ad aeternum exemplar facta aeternoque consilio regi affirmare non dubitaverit. At vero, si is eadem cogitationis contentione ad hominum genus conversus in eorumdem contemplatione mentis aciem attendat, ubi eorum nedum diversa et contraria, sed a sua communique natura aliena atque abhorrentia studia notaverit; ubi quam miris, immo miseris modis quemque eorum in singulis temporis punctis alium a se atque alium fieri et in hora sibimet displicere deprehenderit; ubi eos veritatis amatores et erroribus circumfusos, ratione praeditos et ad libidinem pronos, admiratores virtutis et in vicia demersos, appetentes felicitatis et miseriis coopertos, immortalitatis avidos et in ocio, de quo aeque ac de morte siletur, marcescentes, contulerit: vereor ne non is in impiam illam temere eat sententiam, perpetuis caelestum corporum conversionibus et attritu quandam e coelo excidisse humani generis serendi materiam, eamque forte fortuna in terras sparsam et satam, homines citra omne propositum produxisse. Sed ei rectius ac penitius hanc ipsam rem intuenti quam longissime a ratione alienum videbitur, eo quod omnium mentes aspernantur ac respuant, quod inanima aut animantia quidem rationis tamen expertia aeterno consilio facta

sint, et divina providentia regantur; unum vero hominem, creatarum rerum omnium principem, ad cuius commoditates et usus tantam rerum ubertatem natura genuit, ut ei terrae omnes cunctaque maria pateant pareantque, ipsum fortuito natum et fortunae casibus huc illuc iactandum exortum esse existimemus.

Cum haec ita sint, et tamen humanam naturam in nobis absurdam minimeque sibi aptam, immo plane a semet ipsa abhorrentem sentiamus; hinc factum est, ut veteres, sive vates illi sint, sive in sacris initiisque tradendis divinae mentis interpretes, cum nos ob aliqua scelera in vita superiore a nobis in nos admissa poenarum caussa luendarum natos esse dixerunt, aliquid veri dixisse videantur. Enimvero poena, et quidem omnium acerbissima poena, est vita quam stulti degunt. Nec vero eam pendunt ob illa, quae theologi poëtae comminiscuntur delicta, quae, cum non etiam essemus, haudquaquam admittere poteramus; sed quia in aeternam illam facimus legem, qua Deus Opt. Max. hanc totius mundi civitatem fundavit: quod, si omnia se et universi rempublicam salvam velint, reliqua creata suam cuiusque naturam, homo vero sapientiam sequatur ducem. Eius legis tot sunt digito omnipotenti praescripta capita, quot sunt rerum naturae et potestates. Sed illud, quod ad rem nostram facit, de homine conceptum recitemus: Homo mortali corpore, aeterno animo esto. Ad duas res, verum et honestum, sive adeo mihi uni, nascitor. Mens verum falsumque cognoscito. Sensus menti ne imponunto. Ratio vitae auspicium, ductum imperiumque habeto. Cupiditates rationi ancillantor. Ne mens de rebus ex opinione, sed sui conscia iudicato; neve animus ex lubidine, sed ratione bonum amplectitor. Bonis animi artibus aeternam sibi nominis claritudinem parato. Virtute et constantia humanam felicitatem indipiscitor. Si quis stultus, sive per malam fraudem, sive per luxum, sive per ignaviam, sive adeo per imprudentiam, secus faxit, perduellionis reus sibi ipse bellum indicito. Lex igitur, quam Deus humano generi sanxit, sapientia est. Si sapientiae studiis animum adiungamus,

naturam sequimur: sin ab ea ad stultitiam traducamur, a nostra declinamus natura, et in eam facimus legem, cuius sanctio tam exprompta et parata ostentat supplicia, ut repraesentata poena sit ipsa fraus; et nequam carnifex moram faciat, qui damnatis compedes, manicas boiasque constringat, in cruciatum agat uncoque trahat, eam a semetipsis poenam tanta diritate exigunt ac duricie, ut hodierno die vobis proponere audeam: hostem hosti infensiorem infestioremque, quam stultum sibi esse neminem. A vobis modo, lectissimi adolescentes, qui, beata indole a stultitia aversi, ad sapientiae studia animos appulistis; a vobis, qui sapientiam profitemini; vos quidem officiis, amplissimi patres; vos autem institutionibus, doctissimi antecessores, etiam atque etiam rogo quaesoque, ut aequas mihi praebere ac paratas aures ne recusetis, unice operam daturo, ut quicquid molestiae huic orationi verba et stilus attulerit, id ipsum gravitate rerum et temporis brevitate leniatur.

Et quidem possem ex omni temporum memoria foedas atrocesque hostium clades repetere; sed quaenam sunt rerum gestarum historiae, qui annales, qui commentarii, in quibus non eiusmodi « multa dictu gravia, perpessu aspera » legentibus passim prostent? Ne igitur in authoribus recitandis sim multus, vos, quaeso, trucem ipsam ac terribilem praeliorum imaginem animo conformate. Ubi imperatores utrinque e castris eductis et in acie instructis copiis pugnae signum dederunt, et confestim, sublato utrinque clamore, feroces viri concurrunt et commissum praelium ineunt, quae tum infensa infestaque in cuiusque pectore odia excitantur? quam inexorabiles irae effervescunt? quam infractus audaciae comes, furor mentes occaecat? quam impotens occidionis libido animos occupat? Omnes truci atque efferato vultu sibi ultro citroque minantur excidium: quisque ardentibus oculis patentem in hoste vulneri quaerit locum, pugnaci petit manu, infesto transigit ferro. Si alteri repulsi referunt pedem, alteri insistunt; si hi ordinem obtineant, illi impetum faciunt; utra turbata acie, altera ingruit. Ubi stataria rem gerunt pugna stantes et conferti, vir virum neci dedit; ubi circumducto agmine praeliantur, praetereundo mutuas sibi dant

clades; aliis occumbentibus, alii ex integro pugnam ineunt; si qui, labore et vulneribus fessi, cedunt recentes, et integri restituunt praelium. Nihil student, nisi caedem facere; nihil affectant, nisi strages edere; id unum gestiunt, afferre clades. In vulneribus, in occidionibus toti sunt. At ubi victoria parta est, ibi non sine ingenti horrore luctuque maximo videre est ex victis alios trepidos aut dissipatos fugam effundere et inter fugiendum misere trucidari; alios, qui in vestigio cadere maluerunt, in caesorum strages congestos, ut quem cuique sors aut virtus coniunxerat, pedites equitesque, victores et victos, animi ferociam, quam haberent in vita, in vultu retinentes iacere. Videres alios in pulvere tabido spiritum intercludere; alios ex strage media nudantes cervicem iugulumque victoribus, eosque obsecrantes, ut reliquum sibi sanguinem hauriant. At vero hi vel effera ulciscendae iniuriae libidine in eos afflictos insultare et obiectare sarcasmos, vel cupiditate legendi spolia transilire; ac, ne quid sit in mora, aliis poplites, brachia aliis decidunt, alios medios dividunt, quo ocius eos militaribus armis vestibusque despolient. Neque enim victoria praeliorum exitu terminatur, nam mox ad agrorum vastitatem urbiumque direptiones divertunt. Et o quam foeda tetraque heic sese offert imago latitantium, extrahentium, fugentium, assequentium, observantium, irrumpentium; trucium inter pavidos, ferorum inter miseros, et ex alienis laetorum malis! Omnia, quocumque oculos animumque convertas, infensa, hostilia omnia: morbo affecti, confecti senio, honestae matronae, generosae virgines, pueri liberales in lectulis, in conclavibus, in intimis aedium penetralibus, in parentum complexu, ante focos, ante aras, omni humanitate abacta, omni admissa fandi nefandique licentia, vita privantur, spoliantur fortunis, bonis omnibus exuuntur.

Maxima quidem videntur et acerbissima damna, mala et exitia, quae bella dare et afferre solent; ita ut quivis forti robustoque animo praeditus eorum vel sola imagine luctu horroreque refugiat. Sed si cui, omni erroris nebula dissipata, clarior veritatis Phoebus affulgeat, et has cum iis componat cladibus, quas sibi dat stultus secum ipse belligerans, si ullam sensus habeat

partem, haec longe maiora esse fateatur. Etenim quae vulnera infligere solent hostes, ea saepe, et maiore quidem animi sensu, a chirurgis excipimus; quas illi inferunt mortes, eas, nisi vetarent id leges, saepe in mala spe positi homines ultro sibi consciscerent. Urbe spoliant? at facinorosi scientes prudentesque solum vertunt. Fortunis privant? at ganeones nepotesque per luxum eas et libidinem prodigunt. Libertatem adimunt? at sunt perditi homines, qui ad pretium partiendum se venundari patiuntur. Contra vero (attendite, auditores, res magna est; attendite, res vestra est), contra, inquam, stultus sibi bellum infert, non armis, quibus punctim aut caesim ferit, sed per summum cruciatum distrahitur. Ea vi superatur, qua vehementior nulla; ea spoliatur urbe, quae una est; iis privatur fortunis, quas vel reges expetunt; in eum coniicitur carcerem, quo nihil acrius, nihil tenebricosius; in eius redigitur servitutem, cuius omnium saevissimum est imperium.

Forte an putatis me inopinata magnifice loqui? Non ita est, ita me Deus bene amet, non ita est: vera loquor, et quorum si quis, heic stultus adesset, quod haud puto, si is modo secum habitet, de se coniecturam facere posset. Stultorum arma sunt effraenes animi affectus; vis qua superatur, conscientia; urbs qua spoliantur, mundus; fortunae quibus exuuntur, humana felicitas; carcer ubi truduntur, corpus; domina cuius imperio subiiciuntur, Fortuna. Haec igitur singula, dum aliquanto amplius persequar, quaeso vos, auditores, benigne, nempe vestro de more audiatis.

Et principio quidem attendite quos acerrimos adversus semet hostes et quam perniciosis armis instruat stultus. In ea animi parte, quae rationis est expers (ut similitudine Philonis ad hanc rem apposita utar), duo sunt veluti equi, irascens unus, alter concupiscens: ille mas, haec foemina; ille gestiens animosus, impotens, hic fractus, languidus, deses; illo animus in ardua atrociaque, hoc vero in proclivia et amoena fertur. Ex his duobus equis, non secus ac illo Troianorum dureo, quot inclusi sese exerunt hostes! Etenim, ubi semel prava cupiditas alicuius apparentis boni animum stulti incessit, ibi tum omnium perturbationum fons et origo existit amor; si bonum quam longissime absit,

desiderium nascitur; si consequi possit, spes erigitur; si praesens sit, exoritur gaudium; si ita summum reputatur, ut in eo non nisi unus excellere possit, zelotypia et aemulatio praesto est: si eius copiam alius habeat, nos inopia laboremus, invidia cietur. At ubi eiusmodi fluxi et fucati boni compotes facti sumus, et, detracta persona, res manet, quia quod prius bonum videbatur, mox sub specie boni latens retegit malum, statim odium amori contrarium succenturiatur: ac, si malum longe absit, abominatio et fuga expeditur; si praesens nos premat, tristitia erumpit et dolor. Atque heic confestim cupiditati irascibilis appetitus opportunam fert opem. Etenim ad malum depellendum excitat iram: quod si vincere posse putet, armat audaciam; si de victoria desperet, iterum cupiditas ingruit; et si malum mediocre sit, taedium; si summum, ad stultum debellandum stuporem etiam educit. Ducunt agmen appetitus et fuga, mediam tenet aciem gaudium, est in subsidiis dolor. His hostibus stulti animus impetitus optat, timet, gaudet doletque. Sed quia artem vitae, sapientiam, non callet, fluxa vota, timores irriti, « mala mentis gaudia », soli timores solidi. Si quidem optant adolescentes unguenta, corollas, convivia; sed in his subest amari aliquid, quod totam postea rationem vitae conturbet. Optant iuvenes gloriam, sed quae (exquisita et affectata) Varrones Cannensi clade deturpet. Optant viri potentiam, sed quae, virtute non moderata, trahit unco Seianos. Optant senes divitias, sed quae (meritis non partae) Crassos pessundant. Optant decrepiti longaevam vitam, ut senii incommoda sentiant et suorum funera videant. Timent quidem insipientes, sed quae nihilo metuenda magis sunt quam quae pueri in tenebris pavere solent; et vertunt terga, quemadmodum hostes, quos actu pecorum pulvis sublatus exuit castris. Quamobrem, eos, scita tralacione, « maiusculos pueros » Seneca vocat: quibus, post iuventam canosque, non pueritia, sed, quod gravius est, puerilitas remanet. Timent enim, ne quid sibi detrahatur honoris, qui re ipsa in honorantibus est; timent, ne quid patrimonii atteratur, quod revera est in bonis Fortunae; timent, ne supremum properet fatum, quod, si sanguinis guttula in sinistro cordis ventriculo

subsistat, imminet repentinum. Gaudia vero stultorum (si tamen gaudia appellanda sint, et non potius integrationes doloris) quam perfunctoria! quae non perpetua hilaritas, sed subita diffusio consequitur. Etenim ea animi pars, quae ratione praedita est, et stultis, ut ita dicam, poenae nomine relicta, suspicit quandoque Archimedem, post propugnatam quantum pote fuit suis miris machinis patriam, inter Syracusarum direptionem in erudito pulvere geometricarum apodixium suavitate occupatum teneri; admiratur Scipionem, post Hannibalem devictum, post Carthaginem eversam, pro ingrata Roma libentissime Linterni villulam commutare, et per summam animi tranquillitatem inter literas abditum et sua ipsius virtute involutum vel sapientiae studiis vel memoria rerum praeclarissime a se gestarum delectari. Adeo enim gratiosa est virtus, ut insitum etiam sit improbis probare meliora. Sed quid tum? gravissimum illud sentiunt malum, quod stultis poëta grandiloquo ore imprecatur:

Virtutem ut videant intabescantque relicta.

Quandoquidem ratio, a virtutis pulchritudine, ad quam nata est, commota, arripit affectuum ac perturbationum habenas. Sed nequicquam: etenim aut a refractariis equis, instar Homerici Hectoris, raptatur; aut, quoniam nescit fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum,

vel vehemens, dum aliqua devitat vitia, incurrit contraria; vel, a seipso dissidens, laudat virtutes, vitiis obsequitur. Et ne timidum audiat, audacium fert praemia, iniurias et contumelias; ne audacem, « omnia tuta timet »; ne avarus habeatur, rem omnem prodigit; ne prodigus, a congesta pecunia tamquam a sacro abstinet et suum genium defraudat. Itaque, in omni vita, vel cupiditatibus ardet, vel timoribus trepidat, vel voluptatibus insanit, vel curis aerumnisque conficitur. His suppositis flammis, his admotis arietibus pluteisque stulti animus oppugnatur. Qua vi expugnatur tandem? Qua nemo se protegere potest: vitae inter vitia traductae conscientia. Haec diras, haec intemperias ciet, quae stultum tenent et agitant. Lubet eos oculis

videre iactatos? Spectate: stulti vita semper ingrata, semper trepida est, semper is sibi dissidet secumque pugnat, semper fastidio sui laborat suique taedet ac poenitet. Nunquam ei velle ac nolle decretum est: variat cottidie iudicium vertitque in contraria; sua despicit, aliena miratur eiusque, ut Plautini Alcesimarchi: ubi est, ibi non est; ubi non est, ibi est animus; semper apud se caussam dicit et se condemnat, semper foris est, nunquam secum habitat; nova commutans loca, nova obiens munia, novam vitae rationem instituens, novas spes etiam in exitu inchoans, semper se fugit.

Talibus stulti oppugnati armis, tanta vi debellati, quam amplissima et pulcherrima privantur urbe? Ea nimirum, quam non aratro designati ambiunt muri, sed « flammantia coeli moenia » circumdant; quae non mutabili lege fundata est, sed aeterno regitur iure; in qua non municipale sacrum colitur, sed coelum, sidereum Dei Opt. Max. templum reseratur; cuius theatrum terrae patent; thermae, maria; stadia, solis viae. Eius urbis civitas nonnisi Deo sapientibusque communis est; quando eius iuris communionem, non principali beneficio, non liberis, non nave, non militia, homines, sed sapientia, consequuntur. Etenim (attendite per vestram fidem) ius, quo haec maxima civitas fundata est, divina ratio est toti mundo et partibus eius inserta, quae omnia permeans mundum continet et tuetur. Haec in Deo est, et Sapientia Divina dicitur; a solo sapiente cognoscitur, et sapientia humana appellatur. Quis igitur grandius et magnificentius, quam quod dicat: Civis romanus sum, dicere potest: Mundi civis sum, nisi solus sapiens, qui de rebus superis inferisque, divinis, humanis, universis vera cogitare et disserere sciat? Quis, nisi sapiens, pro tantae civitatis cive se probare potest, qui naturae et universi legem novit ac servat? Quae res eius reipublicae iura Deo hominibusque communicat? Perfecta ratio, qua Deus cuncta operatur, sapiens cuncta intelligit. Quae res hominum cum Deo necessitudines conciliat? Veritas, quae ab unis sapientibus vestigari sinit et, ut Graecum notat nomen, circa Deum versatur. Quae res homines Dei similes facit? Virtus, qua freti Stoici, nimis superbe de

sapiente, nimis abiecte de suis deis disserentes, illud παράδοξον statuunt, quod eadem res sapientem efficiat, quae Deum, nempe virtus, nulla re praeterea, nisi immortalitate, quae nihil ad bene vivendum pertinet, cedens caelestibus. Dicamus id magis, pie et verius graviusque: una re nos Deus sui similes reddit, virtute, qua nedum humanae, sed cum caelestibus etiam aeternae nos compotes facit felicitatis.

Magna stulti civitate privantur: magnis item necesse est ut spolientur opibus ac fortunis. — Quibus? — rogabitis. Felicitate. Nam omnibus quidem hominibus natura insitum est, ut beatam expetant vitam. At vero stulti, dum illam petunt, fugiunt: quandoquidem, cum beatae vitae summa sit vera hilaritas, solida tranquillitas, inconcussa securitas, ii solicitudinum caussas colligunt, et per insidiosum iter longius ab eo, quod petunt, semper abscedunt et, in labyrintho properantium instar, sua ipsorum velocitate se implicant. Quid ita? quia eos deficit perfecta virtus, hoc est aequalitas ac tenor vitae per omnia sibi constans: quod fieri nullo pacto potest, nisi rerum scientia prudentiaque contingat. Etenim humanae vitae propositum et appetendorum ultimum, quo potiti nihil ultra petimus vel egemus, et quo uno, utpote ad id natus animus, consummatur, est certa scire, recta operari, atque illo contemplari, hoc imitari Deum. Ubi semel inter haec studia sapiens versatur, eo gaudio eius vita perfunditur, cuius indivisae sunt comites conscientiae tranquillitas innocentiaeque securitas. Scientia enim praestat, ut sapiens animum deducat a corpore, et multum cum meliore ac divina parte versetur, et cum hac querula ac fragili quantum necesse est. Itaque rerum vestigans caussas mente Deum adit, et his cogitationibus oblectatur et pascitur. Recta vitae institutione, agnoscit in nobis esse appetitionem et fugam, virtutem et vitia; extra nos corpus, opes, gloriam; agnoscit quae in nobis sunt, natura sua libera et propria esse; extra autem posita, serva et alieni iuris. Quamobrem ita se conformat, ut quicquid ex Dei constitutione nos pati necesse sit, id magno animo excipiatur. Ad hoc sacramentum se adactum intelligit: ferre mortalia, nec perturbari his, quae vitare nostrae potestatis non est. Itaque ab celsa mentis veluti

arce omne Fortunae regnum despectat et, veluti summus Olympi vertex, humanorum casuum ventos nubesque superat.

Tot tantisque stultus spoliatus fortunis, libertate etiam iusti iure belli privatur: libertate, inquam, quae non vindicta aut pileo donari solet a dominis, sed quam dat sua manumissione sapientia. Hinc in arctum truditur carcerem asservandus, multis spissisque tenebris circumseptum et horroribus undique circumfusum. Nulla ibi rimula hiat, per quam lucis radius penetrare possit; nullus ei verus triumvir praeest; nullus fidus ad ostia custos, qui extrinsecus allata ex bona referat fide.

Credo equidem vos iamdudum tenere quae dicam. Tenebricosus carcer est corpus; triumviri, opinio, falsitas, error; custodes, sensus, qui in pueris acerrimi, in senibus hebetes, et in omni vita pravis affectionibus corruptissimi. Quivis nervorum morbus, quodlibet organorum vicium, quicumque appetitus, intemperantia eos corrumpit et labefactat. Quid? Diversae corporum compages quam diversa, immo contraria, ingenia induunt! Amor vero quam miris modis vim imagines conformandi distorquet! quam miris odium depravat! Qui amant, dominarum vicia, tanquam virtutes, exosculantur; qui oderint, tanquam vicia, virtutes abhorrent. Hinc illi opinionum, quibus iactantur, fluctus; illi studiorum, quibus submerguntur, euripi; illi errorum scopuli, in quos impingunt. Cumque nesciant quam alti rebus termini haereant, et quid fieri possit, quid secus, ignorent; atque adeo non habeant gubernaculum vitae sapientiam; se Fortunae committunt. A qua dum saevissimis habentur modis, illas voces per summum animi dolorem emittunt: — Non putabam; spes me frustra habuit; hoc mihi restare nesciebam. —

O quam vere, cor et pupula sapientum, o quam vere, Plato, dixisti hominem stultum animal esse omnium ferocissimum! Nam quae maior ferocia, immo feritas quam adversus semetipsum tam infandum bellum indicere? in horas a sua ipsius conscientia sub iugum per summam turpitudinem agi? in tam amplissima urbe nullum caput habere? fortunis privari, quae unae propriae sunt? carcere tam duro asservari, quem potest infringere? a saevissima domina non ad sapientiae aram perfugere? Eia, aga-

mus hoc tandem, et nosmet ipsos respiciamus; nos nostri misereat, et sanctum nobiscum ipsis paciscamur foedus. En feciales ad id feriendum parati; heic adsunt, ut nobis verbis praeeant: sequamur igitur. Et illi pareamus naturae legi, quae iubet, ut quisque sibi constet. Facilis est, nam ingenita; benigna, quia naturae.

## ORATIO III

habita XV kal. novembris anno MDCCI,
cuius argumentum:

*A literaria societate omnem malam fraudem abesse oportere, si nos vera, non simulata, solida, non vana eruditione ornatos esse studeamus.*

Ex tot tantisque Dei Opt. Max. beneficiis, quot sunt res ex tenebricoso nihilo in hanc mundi lucem editae et explicatae, cuique vestrum recte ea secum animo reputanti nullum sane splendidius aeque ac magnificentius donum quam liberum humanae menti concessum et datum arbitrium ab infinita eius bonitate profectum esse videatur. Et vero amplissimum, et sane regium est, cum reliquae res creatae omnes suae cuiusque naturae serviant mancipatae, unum vero hominem imperare. Terra namque suis librata ponderibus aeternum stat, nec usquam titubat, aut labascit: mare continenter aestu agitatur, nec fines unquam, quibus continetur, egreditur: suos diurnos una et annuos labores sol durat, nec tantillum declinat aut punctum temporis cessat: stato tempore annus virescit, stato fert fruges: nec leo pusillum, aut lepus magnum animum induit, aut tigres feram, aut boves mansuetam naturam exuunt. Unus homo est quod vult; fit quod lubet; agit quod placet. Itaque cum primum humani generis princeps Adamus ex admirabili Damasci figulina a Deo factus prodiit, credo equidem, quod haec rerum universitas, quae mundus dicitur, si sensum haberet, cum cunctas res creatas naturae servitia contueretur, hominem vero sui ipsius moderatorem arbitrumque conspiceret, cum ex hac naturae libertate, suum, si non dominum, pene dominum certe agnovisset. At utinam Deus fecisset immortalis naturam humanam sibi itidem ut reliquae mancipatam! nam, arbitrio compedito, homo ad quem rectum rationis usum

factus erat, aequabilius quam sol et astra suos circumagunt cursus recta contenderet, in vitae constantia stabilius quam terra in seipsa consisteret, intra fines humani divinique iuris religiosius quam intra litora oceanus contineretur, virtutis frugem cuique aetati ferret convenientem et aptam, et adolescens temperantiae, vir fortitudinis, senex prudentiae, in omni vita iustitiae exempla iugiter daret; neque ex libidine unquam hominem exueret, et in brutum animal cupiditati pronum tamquam Circaeo aliquo poculo verteretur. Enimvero libera humani animi electio omnis materies mali: hinc omnis pernicies, cuncta exitia, quaelibet pestes, quibus genus afflictatur humanum. Etenim arbitrii libertate abusus homo res omnes suopte ingenio insontes noxias fecit: ingentes saxorum struices supra caput eduxit, unde ruinas acciperet; mari ausus est se committere, ubi naufragia faceret; ferrum perstrinxit, ut sibi vulnera infligeret; gulae irritamentis famem antecapit; vino somnum praevertit; deliciosa ciborum varietate antevenit funera; et undique caussas corradit quibus suam ipsius naturam divexet ac perdat.

At haec tolerabiliora quam illa, ut sint qui literarum studiis, quorum proprius est usus haec ipsa depravati arbitrii damna emendare, abutantur; et animorum cibum et oblectamen in mala venena et ingrata convertant: et quae res ad componendam animi tranquillitatem et optime formandos mores vel unice vel plurimum valent, ex iis ipsis solicitudinis caussas colligunt, easque malo suo ingenio, veluti contagione quadam, labefactent. Isti sunt homines vel simulate eruditi, vel vana eruditione, ut cum Epicteto loquar, praediti: illi, quia eruditos haberi volunt, nec tamen sunt; hi, quia eruditi sunt quidem, sed suam eruditionem omnem, non ad sapientiam et animi modestiam humanitatemque, sed ad inanem gloriolam compararunt. Itaque, ut utrumque vitetis genus, optimae spei adolescentes, qui in vere literatos ac sapientes viros adscisci studetis, in haec verba sponsionem hodierno die faciatis necesse est: A literaria societate malam fraudem, quantum in vobis est, omnem abfuturam. Quod est summum dicendorum caput: per vestram fidem attendite.

Maxima quidem et potentissima illa vis est in hominum animis insita, quae alium alii consociat et coniungit; ita ut nemo unus tam improbus, tam scelestus, tam nefarius existat, quin ad societatem servandam, vel inter pravas cupiditates, aliquam iustitiae particulam, tamquam sub deflagrato cinere vivacem favillam, conservet ac foveat: eius rei testes in quavis alia caussa intestabiles piratae sint et latrones, qui certas suae nefariae societatis leges de communibus periculis pro virili subeundis, de ferenda ultro citroque in dubiis rebus ope, de praeda ex bona fide inter se dividenda, quadam specie religionis observant. At qui homines in literarum communionem inciderint, et eruditionem vel simulant vel vanam colunt; quam sancte isti iura eius societatis tueantur et impleant, spectate ea de re leges et ad earum exemplum iudicate.

Pro socio lex est, ut is aut rem aut operam conferat in commune. Igitur, quemadmodum homines ratio, nationes lingua, cives respublica, gentiles nomen, cognatos sanguis, mercatores res quaestuaria consociat, ita bonarum artium professores erudita opera, philosophos naturae vestigatio coniungat necesse est. Huic legi paret ne, an potius in eam committit philologus, qui de suo nihil in hoc commune confert, et Theonino dente carpit et lacerat alienum? et Virgilium in heroicorum numero poëtarum non habeat, quod iudiciosissimus Longinus Ciceronem quidem cum Demosthene, non item Virgilium cum Homero comparavit? Ciceronem, os, medullam, corculum eloquentiae, elumbem et fractum cum Asinio, ridiculum cum Catone divexet? Plauti deos parasitari, Terentii vernas philosophari dicat; Livium verbosum cum Caligula notet; in Sallustio affectatam verborum antiquitatem cum eodem Pollione reprehendat; ambitiosum et usque ad fastidium exquisitum Ovidii stylum exagitet; Lucani tumorem detestetur; Martialem scurram de trivio deridendum traducat? Huic legi paret, an potius in eam committit philosophus, qui nihil de suo in commune confert, et genuinum frangit in alieno? et Platonem anilium fabellarum auctorem insimulet; Zenonem vanum mirabilium promissorem, magnificum, superbum et fastus plenum accuset; Democritum et Epicurum carneos

homines dicat; Cartesium naturae poëtastrum appellet; et omnia, quae audiunt

Stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones,

in Aristotelem per summam impudentiam probra congerat? Huic legi paret, an potius in eam committit medicus, qui de suo nihil in commune confert, et antiquorum recentiorumve medicinam mediam dissecet? Iuris interpres, qui vel Accursium barbarum omniumque rerum ignarum videat; vel Cuiacianos nihil, nisi legitimae emancipationis et testamenti per aes et libram solemnitates novisse dicat? Quid aliud istud est, nisi socium in lucrum solum venire, nullum subire damnum? Igitur, optimae indolis adolescens, insuda, impallesce, lucubra, scribe, subi pericula; et quas censuras de aliis iniqui homines proferunt, de te item audias; conare, enitere; si ad philologiam applicuisti, non obtrectando, sed bene scribendo aliorum vicia declina; si ad philosophiam, non probris et contumeliis, sed rationibus, et ipsis rerum argumentis aliorum lapsus erroresque confuta.

Deinde societatis natura est, ut bonam fidem desideret. Unde illam iurisconsulti formulam inter bonos bene agier in eiusmodi caussis prodidere; cuius ea vis et potestas est, ut quicquid officium sit in iuris abeat necessitatem. Deus immortalis! in quaestuariis societatibus socius socio aequus est et benignus: ecquis erit in societate studiorum iniquus? Absit id a vobis vicium, absit, adolescentes: et authores, qua parte spectandi sunt, laudate; qua vero peccant, id humanae imbecillitati tribuite; et communes nostrae naturae vices commiserescite. Igitur, bonae indolis adolescens, philologe, latina Plauti venere, Terentii elegantia te oblecta; decoram Virgilii maiestatem venerare; in Cicerone torrentem eloquentiae fluvium, qui copia abundet, exundet, inundet, ut Virgilianus ille de saxo pastor, admirare; lacteam Livii copiam, acrem Sallustii vehementiam suscipe; pictos ex Ovidio flores lege; audaces Lucani conatus admirare; scitis Martialis dictis applaude. Si te philosophiae dedidisti, audi Platonem quae disserat de animorum immortalitate, de divinarum aeterna et infatigabili vi idearum, quae de geniis, quae

de Deo, summo bono, quae de amore a libidine defoecato; et eum divini cognomentum iure promeruisse cognosces. Audi Stoicos quam graviter et severe sapientis constantiam doceant; et tute rigidos ac torvos virtutis custodes dixeris. Audi Aristotelem, quanto acumine facultatem dissertatricem universam complexus sit: cui nihil hactenus aliud, nisi quam explicationem, rationem et aliquod utilius exemplum addiderunt; quo corde de re oratoria et poëtica praecepta tradat; absolutissimum illud de morum philosophia systema perlege; et ingeniorum miraculum ultro fateberis. Audi Democritum, quam verisimillima de principiis rerum, de corpusculorum effluvio, de sensibus contempletur; et Naturae praelucem appellabis. Audi Carthesium, quae de corporum motu, de passionibus animi, de sensu videndi nova et admiranda investigarit, quae de primo vero sit meditatus; ut geometricam methodum in physicam doctrinam invexit; et philosophum dices non ad aliorum exemplar factum. Qui medicinam facturus es, Galenum evolve, et disce qua elegantia morbis imponat nomina, quanta mentis intentione observet signa, quanta ferat veritate iudicia; et maximum medicorum fateberis. Iurisprudentiae professurus, Accursii glossas versa: et nisi post eum graeca ac latina lingua restitutae essent, nec Romana historia illustrata, nescio an quid Accursio maius in nostrate iurisprudentia natum esset. Id enim est aequi bonique consulere: id inter bonos bene agere, ut sit apud te et cognoscendi, et ignoscendi locus.

Cognosce igitur prius; neque indicta caussa de quoquam iudica. Quin in cognoscendo aequus bonusque arbiter, quod culpae nomine quemquam praestare oportet, id cum diligentia ab eodem alibi praestita compensa et absolve. An non et illud item bona fides desiderat, ut quos authores domi tute solus es admiratus, eosdem foris laudibus pro meritis ornes? nec alienos libros clam domi exosculari, palam naso adunco suspendere? est ne bene agere recitantem coram vano excipere plausu, corrugare nasum absenti? Non patitur satyricas istas sannas, istas a tergo ciconias bona fides abominatur. Conscius tibi es authorem bene dicere, vera disserere; cave faxis, ut contra animi

sententiam eum suo lucro defraudes; conscius es eum aliqua in parte decipi, errare, labi; ne sinas eum in errore persistere; et verbis, quantum potes, bonis peccati admone. Viri Athenienses eum publicis execrationibus devovebant, qui ignoranti viam non commonstrasset, eumque contra humanam societatem facere iudicarunt. Ecquis patiatur amicum suos libros publici iuris mendosos facere, ut re non integra eum erroris nomine reum peragat? et quam natura dictat, hominem homini opem ferre, literatus literato negabit? Discendum est, optimae spei adolescentes, ut alios humaniter docere possimus; et in ultimas terras exportandi (credo equidem in hac liberalissima urbe eiusmodi pestes non agitare) exportandi, inquam, in ultimas terras isti homines sunt, qui in studiis literarum sudant et algent, quo aliis formidini, non auxilio esse possint, minitabundi:

> Qui me commorit (melius non tangere, clamo)
> flebit, et insignis tota cantabitur urbe.

Deinde est ne bonam fidem praestare, bonum virum agere quempiam, qui ita suae sententiae tenax sit, ut de ea nulla pollentissima ratione deiici possit? — Quid ais? — Nervos in corde radices agere. — Quid ita? — Quia in eo placito omnis ferme consentit antiquitas. — Recte sane; sed, ni molestum est, disseca corpus. — Quid istoc opus facto in re, de qua nemo est nostrum qui dubitet? — Attamen, ni piget, disseca; nam mihi, ut sum naturae religiosus, de eo scrupulus iniectus est: disseca quaeso. — Non quia necesse sit, sed, ut tibi mos geratur, fiat. — Merito te amo. Inspice nunc praecordia. Quid? ut superstitiosus aruspex extis inhias et pallescis. — Nullus quidem. — Ostende igitur nervorum a corde originem. Tenuissimae sunt fibrae, nostin? — Oculorum aciem effugiunt. Adhibe microscopium. — Tantundem egerimus. — Attamen adhibe. — Vereor ne mihi videndi sensus isto conspicillorum genere labefactetur. — Nihil pericli est: nos quotidie utimur; nec quicquam mali inde ortum. — Vide quo me inducas. — Quid nunc? nervorum stirpem in

corde perspicis? — Nihil magis. — Sum verus? Dixin tam tenuia esse fila, ut omnem obtutum fallant? — Audio. — Sed da te mihi vicissim: inspice cerebrum, et, microscopio seposito, in summo cerebello glandulam, quam pinealem appellamus, observa. Spectastin? Quidni? Viden porro ut tenuissima filamenta in cervices deducuntur? unde nervi omnes per spinalem medullam in universum corpus diramantur. — Video etiam. — Quid nunc? Nonne fugit te ratio? — Nihil minus, nam stat alia animo a puero mihi imbuta sententia. —

Quid, proh Dei atque hominum fidem, istud est, nisi interdiu solem de coelo tollere? Abigatis, quaeso, istam ab animo pervicaciam: et propriam boni viri ingenuitatem induite. Tandiu in aliqua sententia sistite, quandiu alia verisimilior non commonstretur: non est turpe dediscere, quando non est voluntarium errare. Pervicacia ab electione est, error ab imbecillitate naturae. Neve sitis, quaeso, ex isto contentiosorum hominum numero, quos illa omni societati exitiosa verba delectant: « Ais, nego; negas, aio ». Dociles, rogo, sitis in omni vita: et illis verbis potius oblectemini: « Aio quidem; sed fac negem; dum melius mihi modo commonstres ».

Postremo bona fides omnem dolum malum excludit, quem, si vere Aquillius diffinivit, « aliud agere, aliud simulare », certe dolo malo facit philologus, qui vix sex menses aut summum annum in graeca vel hebraea lingua exercitatus, iuxta ac Atticae vel Palestinae alumnus illa exclamat: — O si scires hebraee et Isaiae magniloquentiam nosses! o si graece et Platonis mel degustares! — Deus immortalis! Latinae linguae, a qua pauxillulum deflexam ac mutatam vernaculam loquimur, universum decennium non sat est addiscendae, ut eius venerem et genium assequamur, et Deus scit an quis nostrum sit omnino assecutus. Nam quis nostrum est, qui patavinitatem in Livio, gallicismos in Caesare animadvertat? Et tam brevi linguas a nostrate prorsus alias et omnino inter mortuas sapimus! Versatissimi in graeca latinaque lingua nostrorum temporum authores aiunt Homerum ad Virgilii exemplum collatum sordescere et ineptire, Demosthenem cum Cicerone compositum iacere, frigescere. Ah, auditores,

« nostras culpas », ut cum Sallustio dicam, « in negocia transferimus ». Non sordescit Homerus, non iacet Demosthenes: nos aliud agimus, aliud simulamus. Nostra eius linguae ignoratio est, qua nescimus quanta sint verborum momenta, quales dictionis elegantiae, quae linguae rotunditas. Dum graeca lingua vigebat, et inter Graecos multum et diu versabantur Romani: Virgilius id unum affectavit, ut Roma suum haberet Homerum; Cicero in eo totus fuit, ut et Latio suus esset Demosthenes: et nos, graeca lingua prorsus extincta, haec et de Homero et Demosthene iudicia proferamus? De hebraea lingua, quod sit doctiorum et magis ingenuorum iudicium, paucis expediam. De ea unos sacros veterum Tabularum libros habemus: Hebraei grammaticas post annum Christi millesimum excogitarunt; sed quae vel veteribus versionibus vel Massoretharum authoritate vel Rabinorum coniecturis nitantur. Veterum versionum una nobis constat vulgata, quam seculorum Ecclesiae sui semper similis vetustas confirmavit. De reliquis versionibus ex earum antiquissima iudicate. Ea est septuagintaviralis, Ptolomaeo Philadelpho, Aegypti rege, ducentis quinquaginta minimum annis a Babylonicae captivitatis postliminio confecta: qua aetate linguae sanctae usus diutina tot annorum servitute in Aegypto corruptus fuerit, et complurium vocabulorum elegantia et locutionum puritas interciderit, necesse est. Et satis patet ex innumeris LXX interpretum locis, ubi unam eandemque vocem varie admodum vertunt, ut nec inter se, nec rei, qua de agitur, ullo modo conveniant. Ad haec adde librariorum vel oscitantiam vel linguae ignorationem, haereticorum falsandi artes et temporis denique iniurias. Massorethae puncta vocalia addiderunt, quo tempore recta linguae pronunciatio ignota erat. Rabinorum coniecturae, quam sint infirmae, cuique innotescet animadvertenti eos quamlibet vocum vel in una literula similitudinem quamlibet longinquam originem ducere, quasvis ineptas historias narrare, ut suas interpretationes confirment. Lexica, cum sint inde hausta, quam plurimis laborent viciis necesse est. Neque haec eo dico, quo vos a praeclarissimis utilissimisque eius generis linguarum studiis absterream: enitendum est, ut, quantum

fieri possit, eas addiscatis; et quousque pervenire licet progrediamini:

est quadam prodire tenus, si non datur ultra.

Sed illud admoneo, ne nos id scire simulemus, quod revera nescimus. Dolo facit philosophus et aliud agit, aliud simulat, qui de ignoratis rebus certos obiectat gryphos, ut suam ignorantiam scientiae specie praetendat. — Quid est antipathia? — Virtus quaedam, qua una res non patitur alteram. — Ita te Deus amet, explica, ista virtus in quanam re posita est et locata? — Dicam: in quapiam qualitate occulta. — Id ipsum rogo, istam occultam qualitatem recludas. — Heic mutit, heic haeret. Ah dolo facit. Cur non, abstersa omni offucia, ingenue principio respondet: Nescio? — Alius mihi physicas res geometrice demonstrandas proponit. Cupio hercle, nam nihil prius, neque fortius. — Igitur has de corpore diffinitiones accipe. — Teneo. — Has porro de motu corporum regulas. — Factum. — Da haec quae postulo — Tua sunt. — Hinc geometrica methodo ab exploratis et indubiis semper proxima ex proximis colligentes progrediamur. — I prae, sequar. — Nonne corpora proiecta, non gravitate, quam dicunt, sed circumpulsu aëris deferri tam clare et aperte percipis, quam illud, quod omnis triangulus angulos habeat duobus rectis aequales? — Ita me Deus fortunet, non ita percipio. — Atqui concessa te tenent. — Ita quidem, quia omnium verisimillima. — Quin igitur iuxta mecum sentis? — Quia aliqua de motu Renati Carthesii regula falsa esse possit. Sed quid dixi possit? quando non una falsa a doctissimo Malebrancio deprehensa est. Quid simulamus et geometricas demonstrationes homini sanae mentis obtrudimus, quas non assequatur? eius instar hoc est, ut quis nullo ab oculis vicio laboret et vigilans, et in sole lucem non videat, quando ita mens ad verum, ut oculus, fertur ad lucem. Fateamur tandem aliquando nostram imbecillitatem naturae: in hoc studia valeant, ut hoc sciamus vel nescire vel admodum pauca scire. Gloriaris, philologe, omnem rem vasariam, vestiariam Romanorum nosse, et magis Romae, quam tuae urbis vias, tribus, regiones callere. In quo superbis? Nihil aliud scis, quam

figulus, coquus, sutor, viator, praeco Romanus. Te iactas, philosophe, principia rerum et caussas assecutum. In quo te iactas? In quo animos effers, ubi adversae sectae alius te putat errare?

Addiscamus igitur verum studiorum usum, et sciamus vetitam primi parentis curiositatem in nobis esse vera rerum cognitione mulctatam. Hoc disciplinae doctos a vulgo distinguant. Utrique nesciunt: sed vulgus se scire putat, eruditus ignorare se noscat. Ita sapiens in omnibus verat, si omnia cum illa exceptione affirmet: « Aio, ni rectius, aut verisimilius obstet ». Ita nunquam falletur, nec unquam fallet; ita nunquam ullam stultorum profert vocem: « Aliter putabam ». Igitur literariam societatem omni abacta mala fraude agitemus, authorum virtutes lucro apponamus, cum virtutibus vicia compensemus; conferamus quid in commune de nostro; nec mutua socios nostros fraudemus opera; neve plus profiteamur quam conferimus, contulisse. Vultis novam artem imitandi scriptorum virtutes? amate. Vultis novam rationem vitandi vicia? ne curiosi pervestigetis, et, si quae offendatis, aequi bonique consulite. Vultis evadere doctissimi, aeque et optimi? Conemini esse tales, quales videri velitis. Atque eo pacto societatis literariae ille multo uberrimus ad vos fructus proveniet, animi modestia, nequis supra suum modulum scire putet, et, omni profligata impostura, candide et syncere vitam vivat.

## ORATIO IV

habita XV kal. novembris anno MDCCIV
cuius argumentum:

*Si quis ex literarum studiis maximas utilitates, easque semper cum honestate coniunctas percipere velit, is reipublicae seu communi civium bono erudiatur.*

Si quis forte vestrum ad duos superiores annos mente et cogitatione respexerit, et solemne institutum, mihique antea persancte servatum, hac die exhortatione ad iuventutem habita literarum studia inauspicandi interruptum intermissumque considerarit; nunc vero in usum moremque revocari videat: is plane aut haec auspicia dicis et solemnitatis caussa potius quam ut ullum negocium postulet sumi arbitretur aut certe nostri silentii caussam ac rationem requirat. Certe quidem bonae artes scientiaeque neque adeo faciles sunt, ut qui ipsas conveniunt, eos ultro praevertant; neque tam obviae, ut aliud agentibus occurrant; neque in tam proclivi agunt loco, ut quo quis eas assequatur, sit continendus decursus. Quin contra adeo difficiles sunt, ut naturam humanam superare videantur. Etenim ei, qui literariam vitam instituit, et sensus, quos fidissimos vitae duces putabat, ferme omnes ac toti sunt abdicandi, ut vera rerum percipiat, et vim corporearum imaginum figulam, phantasiam, obcaecet necesse est, ut primum verum intelligat, et brevem mentis modulum in immensum relaxet oportet, ut indefinitam naturae ditionem cogitatione designet, ac denique mentis oculo, ratione inquam, opus est ut orbetur, quo mira Dei, quorum, ut Apostolus ait, « argumentum non apparet » edoceatur. Atque ea omnia quae memorari facienda sunt ab adolescentibus, qua aetate et sensus maxime vigent et phantasia plurimum pollet, et mens, quia tum primum materiae vinculis relaxetur, angustissima sit, et ratio, cum in summa versetur ignoratione rerum

sit ad vicium usque curiosa. Si igitur homines ad officia nihil quicquam ab humanitate aliena, sed omnino conformia obeunda exhortationibus, admonitionibus precibusque sunt impellendi; opere quanto maiore eiusmodi instinctus desiderantur, ut naturam ferme exuant, et tunc adeo, cum potissimum valeat! Quapropter tantum abest, ut haec exhortamenta ad bonarum artium scientiarumque studia in ostentationem et pompam sint comparata, quod ipse quotiens video (video enim quotidie) adolescentes tenera aetate a laboribus maxime abhorrentes et ad lusus iocosque proclivi, postquam in seriis meditationibus serenas noctes evigilarunt perpetuas, huc prima luce pluvia madidos convenire, vel frigore cohorrentes algentesque audire doctores; ita me Deus bene amet, ut, ne animum porro despondeant, si eius rei facta mihi potestas esset, totiens iteratis exhortationibus confirmare conarer.

Sed quanquam tanta sit, quantam vidistis eiusmodi instituti necessitas, nihilo tamen magis nostram per hoc biennium muneris cessationem mirari velitis. Etenim per id tempus orationum incitamentis abstinui, cum multo vehementiora rerum momenta essent, quibus libera iuventus ad sapientiae studia impelleretur. Quando doctissimi viri per hoc biennium universum huc in docendi certamen descenderint, eo proposito amplissimo atque ornatissimo praemio, ut iuventutis publicitus erudiendae digni iudicarentur; et per hoc ipsum tempus amplissimi magistratus cum gravissimo ac sapientissimo hoc Vincentio Vidania, studiorum praefecto, quibus eiusmodi certaminum maxima ex parte iudicium permissum est, summa religione, incredibili sapientia et constantia singulari de vestris doctoribus deligendis iudicarunt. Quid enim quaeso est, summos magistratus de vestra eruditione, o pulcherrimae spei adolescentes, tandiu esse et tantopere curiosos, nisi re ipsa profiteri vos praecipuam curam esse reipublicae, ut postea eiusdem tutelam cum principe sapienter geratis? Itaque, si maximum est ad civiles artes incitamentum accedere ad rempublicam posse, quid existimandum ubi respublica ultro se vobis ostentet? vos sibi erudiat? a vobis praestinet olim in suis partibus gubernari?

Quapropter, cum tot ac tam momentosi rerum impulsus hac studiorum universitate, scientissimis doctoribus iam instructa atque ornata, quierint; mihi ad meum me munus pensumque revocanti nullum hodie ad vos cohortandos vehementius et ad referendam reipublicae gratiam accomodatius argumentum succurrit, nisi, si quis vestrum ex literarum studiis maximas utilitates easque semper cum honestate coniunctas percipere velit, is communi civium bono erudiatur. Sed antequam huius finis honestatem utilitatemque demonstrem, necessarium duco, ut quo necessitudinis genere vos, populares, coniuncti sitis et quo amoris gradu vosmet ipsos invicem prosequamini, paucis absolvam.

Fratres estis, auditores, et amore vere fraterno istam civilem adgnationem excolitis. Quid? mirati estis! Certe ista admiratione me impudentiae coarguatis, qui id vos sentire asseverem, quod vestrum sentiat nemo. Sed neque impudens ego sum, neque vos iniuria mirati estis. Nam istum, quem aio, fraterni amoris sensum ingens tot consanguineorum, quot civium, numerus hebetat et obtundit! Etenim natura ita comparatum est, ut in arcto violentia sit; quare freta ex levi aura fremunt, ad quam ipsam pelagus immotum silet; et flumina in gurgite rapiunt, quae patenti alveo leni aqua fluunt. Idque adeo summus parentum amor in numerosis familiis, quo in plures diducitur filios, eo magis in singulum quemque minuitur. Sed si forte infelici foecunditate ad unum omnis spes sobolis recidat, in eo uno superstite amor omnium qui obierunt reviviscens conflagrat. An constet exemplum advertite, rogo, animum ad cives peregre in longinquas nationes profectos, qui quanquam ibidem et sanctissimos hospites et fidissimos patronos sibi pararint, si quem ibi forte fortuna suum videant popularem, ad solum nationis prolatum nomen, ei quamvis ignoto (ut ne dicam inimicos infensosque domi peregri in gratiam saepissime revocari) tam arcti amoris vinculo adiungitur, ut ei necessitudini omnia hospitia patrociniaque posthabeat. Si eius, quid sit, rationem quaeratis, aut ego fallor, aut fraternam necessitudinem amicitiis potiorem, quam domi in multitudine civium non sentiebat, in eorundem solitudine agnovit.

Cognovistis, cives, et quo necessitudinis genere et quo amoris gradu coniuncti sitis; pudet me apud vos, tam pia et liberalia ingenia, in honestate explicanda immorari, ut communi civium bono erudiamini. Igitur porro aliis de caussis cognoscite quanti officii res plena sit utilitatibus ac necessitatibus civium liberaliter inservire. Nam credo, equidem, vos facile eius cognationis stirpem intelligere patriam, cuius necessitudo, studium, charitas, omnes omnium necessitudines, studia charitatesque complectitur. Ea namque quodammodo peplum tenet, atque, ex eo sinu facto, et pietatem in Deum, qui nos conservat, et obsequium in principem, qui nos regat, et conditorum reverentiam, qui nobis urbem condiderunt civitatemque fundarunt, et gratam maiorum memoriam, qui fundatam auxerunt, illustrarunt, continet et concludit. At iure quanto meliore nos nostrae patriae his omnibus nominibus devincti sumus? Patria enim nobis dedit ea gente innasci, quae non solum Dei Opt. Max. verum Numen colit, sed principatum religionis in reliquas omnes orbis terrarum gentes nationesque in hac terra Italia fundatum et longissimo seculorum cursu firmatum gloriatur. Patriae beneficium est sub principe natos esse, cuius imperium tam longe lateque patet, ut novos terrarum orbes gigni oporteat, si quis velit eum amplitudine ditionis aemulari; et cum principe eius imperii natione aequo bonoque foedere haberi. Patriae accepto referendum, quod supra humanam historiam heroicorum temporum conditores iactemus, qui hanc urbem condiderunt eo loci genio, ut indigenae docilissimi, ingeniosissimi fortissimique nascantur; in solo tam uberi et sub Iove tam benigno, ut orbis terrarum ocellus habeatur; legibus tam bonis, et tam faustis auspiciis civitatem constituerunt, ut aeterna virtute et perenni felicitate semper magis magisque aucta sit; eoque demum sub Hispanis regibus opum frequentiae celebritatisque provecta, ut inter maximas amplissimasque orbis terrarum urbes numeretur. Et illud patriae meritum est, ut possimus aliis nostros maiores opponere, qui belli pacisque artibus Neapolitanum nomen per gloriam nunquam interituram collustrarunt.

Quae patriae merita tot tantaque sunt et tam ampla, ut si vestrum cuiusque parentes, undique peregre doctoribus accersitis,

per ingentes sumptus vos erudiendos curarent, adhuc, quod a vobis disceretur, patriae discere honestum esset; quae eas parentibus vestris opes paravit et copias, ut vestrae eruditionis sumptus impendiaque perferre possent. Quin si vestrum quisquam proprii ingenii fiducia, ut Epicurus fertur, nulloque doctore doctus evaserit, adhuc patriae doctrinam debet, quae eum tam bona indole ac felici ingenio produxerit. Quid igitur existimandum est quemque vestrum patriae debere, cum in hac studiorum universitate in omni doctrinarum genere doctissimorum copiam virorum paravit, qui, nullo vestro sumptu, nullis difficultatibus, nullo adhibito commendatore, se vobis ultro praebent suamque vobis operam publicitus pollicentur, ut ad quas artes scientiasque addiscendas vel vestrum ingenium ducit, vel parentum consilium agit, eas universas erudiri possitis. Leges ingrati animi libertos damnant, qui cum a patrono summum libertatis beneficium accepissent, quarum artium sunt experti, earum operis manumissorem eiusque liberos necessariosque non iuvant; vos vero, qui non tantum libertatem, sed civitatem amplissimam, sed sortem ipsam nascendi, sed ingeniorum beatitudinem, sed istam ipsam eruditionem a patria accepistis, citra foedam tetramque ingrati animi notam cum patriae, filiis vestrisque fratribus privati commodi caussa commercium agitaveritis?

Sed ego decori immemor, qui libertos, vilissima olim mancipia, cum ingenua iuventute ac liberali committo, et legum necessitatem cum officiorum pudore confundo. Exemplo sint vobis digno nobilissimi civium Romanorum, qui postquam per consulatus, auguratus, sacerdotia, praeturas aliosque magistratus amplissimos sese divinarum humanarumque rerum satis prudentes probarunt, annis et honoribus graves ad iurisprudentiam profitendam tamquam ad honestum vitae portum animum appellabant; eam non domi, nec in aliquo recessu profitebantur; sed transverso foro ambulantes consultantibus respondebant: ut ad eam transversorum notam cives ne minimum quidem illud sentirent incommodum, ut ipsos adirent, nec pauxillulam in moram facerent, quantum se in via progredientes assequerentur: rati

sapientissimi viri exprompta m, paratam, obviam bono civium illam esse oportere prudentiam, quam reipublicae periculis didicerunt.

Quid, ad hoc exemplum, summa reipublicae cura, sapienti magistratum iudicio, spectatis doctissimorum hominum periculis, singulari studiorum praefecti diligentia et publicis salariis eruditos facere honestum sit, vobiscum animis reputate; ac me sinite ad uberrimos eius honestatis fructus explicandos oratione progrediar. Nam sane, si ad vos, viros iam sapientia consummatos orationem haberem, apud quos

numquam discrepat utile a decoro,

iam profecto quem finem vestrorum proposui studiorum, utilissimum comprobassem, hoc ipso quod honestissimum demonstrarim. Sed quando vos hodie primum non sapientiam, sed sapientiae pedisequas, humanas artes et scientias, huc convenistis e limine salutaturi, herciscunda mihi est ac dividenda Socratis querela illa, qua in eos homines utebatur, qui omnium primi hanc humanae societati perniciosissimam invexerunt horum verborum utilis honestique distinctionem et quod natura unum idemque est, falsis opinionibus distraxerunt. Qui error cum in hominum animis profundissimas radices egerit, mira sane vobis mea videretur oratio, si probare contenderem fortium virorum mortes ipsis vita conducibiliores fuisse, et liberalium patrimonia in beneficiis collocata ingenti lucro esse apposita donatoribus. Itaque socraticam sententiam in praesentia divido; et in iis, quae corpore vel totae constant, ut pecunia, suppellex, praedia, vel ex parte, ut verbera, vulnera, caedes, non liquere libenti animo dixerim. Sed in rebus, quae totae ab animo sunt et intellectu consistunt, quo genere ingenuae artes scientiaeque continentur, affirmare ausim nedum honestatem ullam esse, a qua utilitas secreta ac disiuncta sit, sed nullam earum posse maximas parere utilitates, nisi quae sit directa ad honestatem et ordinata. Nam officia, quae a mentis opibus animique proveniunt, non sunt eiusmodi, ut vita, fundus, aedes, quas qui insumit non utitur,

qui utitur non insumit; sed res eius miri generis sunt, ut qui eas tenent, non habeant; qui donant, hoc ipso quod donant, conservent, et argute ac vere earum avaros inopes, liberales dixeris copiosos. Et vero caussarum patrocinia, morborum curationes, agendorum fugiendorumque consilia uter in suis rationibus referat is, qui accepit has res, an qui dederit? Quod si ita se res habet, necessario illud conficitur: quo quis eiusmodi officiorum finem sibi ampliorem proponit, uberius eorum facere compendium necesse sit. Quis autem amplior finis, quam velle iuvare quamplurimos, quo uno homines alius alio proprior ad Deum Opt. Max. accedit, cuius ea est natura, iuvare omnes? Qui vero quamplurimis adiumento esse velit, is parare sibi debet facultatem, ut possit: is autem quamplurimum doctrina potest, qui quamplurima audierit, quamplurima legerit, quamplurima edissertarit, quamplurima meditatus sit, quamplurima scripserit.

Atque eo pacto honestatem, quam principem nostrorum finem studiorum proposuimus, ii porro minores, nec propositi, nec ambiti, sed ultro ac sponte sua consequuntur, ut quis sit principi ornamento, nationi decori et, ut uno absolvam verbo, reipublicae necessarius. Atqui vidistis unquam doctos viros, qui suorum principum regna condecorarunt, quibus non ipsi principes usi sunt? Vidistis unquam literatos homines, qui suae gentis nomen ornarunt, qui non etiam a nationibus exteris multo cum honore magnisque stipendiis sunt accersiti? Vidistis unquam cives, qui sunt reipublicae necessarii reputati, et non amplissimos in rempublicam honores retulerunt? Enim vero, auditores, haec est coniunctissima cathena rerum: ex consilio humanae societatis iuvandae officium nascitur; ex frequentia officiorum virtutis opinio creatur; opinionem virtutis bonorum laus consequitur; ex laude bonorum authoritas existat necesse est; inde honores, opes clientelaeque gignuntur. Quanto haec amplior tutiorque ratio est, quam pravae politicae illud finium dirigendorum consilium, quod a puro fonte derivatum, falsarum consecutionum fluxu coenosum et inquinatum excurrit! Aiunt enim nihil minus viro politico convenire, quam uni rei unice intentum esse. Quidni, cum vir vere civilis omnium omnia spectare

debeat? Inde pergunt: quia qui id facit, occasionum innumerarum iactura mulctabitur, quae rebus agendis ex obliquo dari solent, quaeque fortasse magis fuerint commodae et opportunae ad alia, quae postea usui futurae sint, quam ad ea, quae sub manibus habeamus. Hinc praecipiunt in singulis rebus agendis politicum ita se comparare oportere itaque sua destinata ordinare, ut si in aliqua re voti compos summo gradu fieri non possit, in secundo tamen liceat consistere, immo vel tertio: quod si in nulla omnino parte haerere datum sit, tum vero ad alium quempiam praeter destinatum finem operam impensam flectamus, ut quemadmodum in natura, ita in vita agenda nihil sit frustra. Igitur hoc fines ordine dispensant distribuuntque, ut summo gradu honores, huic substructo gratia, tertio amicitiae notitiaeque, infimo denique bona de nobis existimatio dignitasque consistat. Ita ut optime nobiscum actum sit, si nobis honores repraesententur; tum, si id non possimus, saltem gratiam aucupemur, quae certe olim prosit: si neque praesentem fructum, neque ullam fructus spem inde detur elicere, amicitiam nobis aliquam notitiamque paremus; si tandem nihil sive solidi, sive incerti speretur, quo nostra ambitio iuvari possit, satagamus saltem, ut existimationi ac dignitati nostrae quid inde adhaerescat. At enim, si veniam meruerit in re seria semel iocari, istae illae ipsissimae mihi videntur scalae, quas Dantes Aligerius in suis inferis memorat, per quas, cum ab imo terrae centro inferius descendere videbatur, tum sursum re vera ascendebat. Etenim qui finis apud stos politicos summum, is imum; qui vero imum, is summum obtinet gradum. Nam videte, quaeso, ex his duobus finibus, honore et dignitate, uter sit certior ampliorque, cum iis, qui honores ultimum civilis finem vitae sibi proponunt, plerumque accidat, ut si forte honoris repulsam retulerint, abiecta in reliquum spe, e republica excedant et ad privatam fortunam sese recipiant et abdant: et honores adepti, quia pusillo sunt animo, sicut stomachi infirmi generosiora vina non proferunt, ita, exiguo honore ebrii, nec fide nec industria ad maiores conantur. Contra qui ad honestatem dignitatemque sua consilia direxit, si ei honoris petitio aliter cadat, nihilominus forti

animo de republica benemereri satagit; quo fit, ut ad eum saepe veniat honor cum usura temporis cumulatus; et ubi honoratus est, ampliorem nactus officiorum locum, ad ea maiore animo exstimulatur: et honorem acquisitum non actae vitae praemium a principe accepisse, sed eius in officiis porro agendae se principi pignus dedisse existimabit; ex quo genere qui sunt, nihil est tam honorificum in republica, quod iis non obveniat; nihil obvenit, quo maiores ipsi non reputentur. Tandem sententia concludere liceat: diverticula ad privatas domos, regiae viae ad principum aedes ducunt.

Atque heic sane quam vellem, si qui sint, vestri parentes adessent, atque ex me honores ipsos angustum et quandoque inutilem literarum finem audirent, qui earum fructum liberis suis vile lucrum proponunt, et cruda eorum studia in publicam lucem, tamquam ad mercatum propellunt, et in caussa sunt, ut filii neque ultra proficiant, et stent intra vile lucellum in omni vita. Nam de vobis non est sane, ut id verear, qui inter spes pulcherrimas, quas iuventus necessitatum incallida fovere solet, liberalitatem potius isti aetati affinem habetis; sed ex isthoc ipso illud potius metuendum, ne inani ingenio ducti, amoeniores literas in id excolere destinetis, ut vanam eruditionis gloriam consequamini. Exuite, obsecro, istum animum, si quis forte vestrum ita sit animatus. Neque tamen haec eo dico, ut vos ab eiusmodi studiis deterream: quin ad ea, quam diligentissime vos hortor, moneo, instigo stimuloque; quandoquidem eo cultus scientiae reipublicae necessariae provectae sunt, ut qui velit eas absolutissime profiteri, istas ipsas literas, quas dicunt humaniores, debet omnino penitusque perdiscere: ita theologiae, iurisprudentiae, rei medicae, linguarum, temporum eloquentiaeque studia ancillantur. Quod enim prudentis consilium est eiusmodi studia infrugifera excolere, ut sitis foris inutiles, domi graves, vobis ipsis invisi; cum ea ipsa summo cum usu reipublicae, ut maximis vestris commodis conglutinare possitis. Tandem hoc dicto, ni fallor, vere politico perorabo: principes eas honorant artes ac studia, quibus iuvatur respublica, et graviora rerumpublicarum mala, avaritia luxuriaque

coërcentur. Literas igitur ad commune bonum dirigite, atque hinc sordes vitate, atque hinc racemate superflua: et indubie confido fore, ut vos vel invitos meritissimi honores, honestissimae fortunae, innocentissimae opes, fidissimae clientelae, gratia non fluxa, laus non assentatrix, et, quae vim vel dolum nullo modo patitur, vera gloria consequatur.

## ORATIO V

habita XV kal. novembris anno MDCCV
cuius argumentum:

*Respublicas tum maxime belli gloria inclytas et rerum imperio potentes, cum maxime literis floruerunt.*

Etsi diu multumque de re literaria et militari inter doctissimos homines utra dignitate alteri praestet disputatum sit, et etiamnum disputetur; ac literati viri, ut qui suam rem agunt, multa pro suis studiis et graviter et copiose dicant; tamen stant pro militari non pauca ingentis ponderis momentique argumenta, quae convellere aut labefactare vix possunt. Militia namque exercetur virtus omnium praestantissima, fortitudo, qua homines abeunt in heroas. Vita autem literatorum umbratilis. Armis non autem literis fundantur et augentur imperia; et bello potentes populi aliis formidini sunt, at literariis artibus dediti aliorum iniuriis expositi. Quare merito principes respublicaeque viros bello claros summis amplissimisque honoribus fere semper afficiunt: et ad quam dignitatem domus senatoria longo togatorum stemmate maiorum aegre perveniret, unus homo novus una belli re bene gesta tam cito evehitur, ut evolasse videatur. Et quamquam ad haec literarum patroni respondeant: si fortitudo heroica virtus habetur, prudentia sit ferme divina, quae mollia fortunae novit tempora et casus in industriam vertit, et quid praestantius esse contendunt imperia conservari consilio quam parari virtute et vereri principes quam metuere; et saepe item togatos ad honores maximos in republica et summam potentiam adeptos esse commemorant; tamen vel levia, vel dubia, vel aequa opponunt, ut de utrius praestantia nondum etiam liqueat. Itaque ego quo ad vos, generosi adolescentes, quos commune nostrae gentis ingenium, non necessitate aut utilitate sed honestate et gloria ad praecla-

rissima quaeque ducit, aliquid firmius certius praestantiusque pro vestris studiis afferrem, id vobis argumentum propono: Respublicas tum maxime belli gloria inclytas et rerum imperio potentes, cum maxime literis floruerunt.

Vestros video in cuiusque fronte arrectos prae admiratione animos, auditores, quod proposuerim ab armis literas nedum non corrumpi, sed per has illas iuvari? Caussa est quidem inopinata; sed quam vera, pro vestra humanitate, per silentium attendite. Sed antequam solvamus e litore, densus argumentorum turbo in portu ipso coortus nisi solis radiis discussus sit, in altum intendere vela non possumus. Ita namque natura misere comparatum, ut temerario mentis praecipitio praeripiamus errores, et ad quod verum recta pergere nati sumus, non nisi per viarum amfractus circumducamur; quod ipsum in praesentia experimur, cum quae vera proponimus praeter fidem putentur. Nam qui fieri potest, dixerit aliquis, ut ingens belli adorea et summa sapientiae laus in una eademque republica altera alteram non patiatur modo, sed comitetur et iuvet, quando militia corporum robora deligit, literarum disciplinae conficiunt; bellum efferat, sapientia cicurat animos; rixarum gaudentes milites, ocii amantes philosophi, animarum prodigi bello apti, sapientiae studiosi prae longa sciendi copia vitae brevitatem queruntur; ac denique armis belli humano generi paratur exitium, sapientiae officiis humana societas conservatur? Qui haec nobis obiectant, ii scilicet nos putare arbitrantur, ut qui literarum studiis incumbunt, ii ipsi militiam profiteantur necesse sit. Quamquam quid sapientem descendere in aciem praecinctum vetat? quod utinam, ut in exemplis, ita esset et moribus positum; nam alio certe animo pro republica sapiens pugnaret, quam qui pro vili stipe animas locant. At enim studia literarum hebetant vires, et durus militiae labor, ferre in agmine sarcinas; in acie ad aestivos soles totas dies vel in statione, vel in opere aestuare; hiemare, si ita necesse sit, inter paludum uligines, et sub Iove frigido stratos. Vera haec quidem; sed an ignoramus quanta sit animi vis quamque admirabilis? Amatores ad omnia ignavi ineptique dominarum imperio in fortissimos milites abiere ac prudentissimos duces. Quid

sapientes prae virtutis amore facturos putare licet? Nam qui sapientiam ociosam putant, non plane norunt. Ea enim est hominis emendatio. Nam mens et animus homo: mens autem erroribus obrupta, animus cupiditatibus depravatus. Sapientia utrique medetur malo, et mentem veritate, animum virtute format. Virtus instar ignis actuosa semper, totaque in vitae officiis versatur: officiorum praecipuum patriae commodis inservire, et bonam reipublicae dare operam. Cur igitur ociosi sapientes? ut sint, ubi oportet, bene negociosi; atque ob id ipsum vitae frugales, ut bene insumant; nec ullum per eos vitae dispendium utilius, quam pro republica.

Sed non in eo stat nostra caussa, ut qui sapientes, iidem milites; sed in qua republica sapientiae summa gloria, ibidem ex aequo belli et imperii. Neque enim hic barbarica bella laudamus, quae magis ipsi barbari animorum contagione efferant, quam ab iis efferentur. Nisi vero nihil interesse putatis, utrum Attila bella gerat an Xenophon. Hunno usquequaque infert arma, praeit horror, comitatur clades, vastitas sequitur; philosophus, dum resistitur, urget, instat; parta victoria, undique lenitas, clementia, miseratio. Superioris generis bella humano generi exitiosa, ubi sanguinis aurique avidi pugnant, ut deleant, excindant, depopulentur: haec vero, ubi contendunt quo res componant, humano generi necessaria. Quid enim sibi volunt graves ex eo iure conceptae formulae, nisi bona pace iniurias ad iuris hostimentum revocari; sin per pacem non liceat, ut armata vi vindicare inferendas, ulcisci acceptas ius sit: et fas nationum supremamque iuris gentium legem, conservationem humanae societatis, quam sapientes volunt, omnium officiorum moderatricem, armatos milites asserere ac vindicare?

Ex his, quae hactenus diximus, auditores, habetis armorum et literarum ingenia nedum non ab se invicem abhorrere, ut una res alterius sit dissultus et fuga; sed tam apte congruere, ut literae armis claritudinem concilient parentque ordinis dignitatem. At enim res nondum expedita, nam in referta adversariorum pharetra plura supersunt exemplorum tela, quae in nos coniiciant. Et

principio Spartam opponunt: quam non muris, sed pectoribus moenibant cives; eiusque imperii fines non flumine, non monte, non litore, non munimentis terminabant, sed hasta; in acie probro sibi dari putabant vel deliberasse de fuga; itaque ne spolia quidem de hostibus dicabant diis, utpote relata de timidis; quod vincere in ditione fortunae, vinci in hominum esse potestate existimarent. At quibusnam bonis literis tanta belli laus adiuta? quas ut plane ignorarent, nec ullus omnino esset earum usus, Lycurgi lege cautum, ut ne leges scriberentur. Nodum hunc aliquanto intricatum fateor; non tamen Gordium existimo: nam cogitate quibus institutis artibusque ad eam belli gloriam perveniebant. Lacaenae matres vix natos pueros in clypeis nudos collocabant; mox, ut reptare poterant, item nudos in Eurota, glacie rigenti, ad futurae militiae patientiam indurabant; dein patres, ut filii dolori assuescerent callumque obducerent, ad Herculis statuam flagris ferire, ut saepe sub plagis extincti caderent; furta legibus permittebant ad militarium stratagematum dexteritatem; et ex lege occumbere in acie, quam se dedere iubebantur. Huccine igitur rerum venimus, ut per experientiam et legum necessitatem fortes veram fortitudinis laudem promereant? Nonne ex his ipsis Laconum institutis videtis, rempublicam literis non fundatam, per quae foeda et aspera ad bellicam gloriam pervenire oportere? et ad imperatoria consilia non per honesta sed per naturae turpia acuat duces? Nam de eius imperii diuturnitate et amplitudine nihil dico, quae dum parva Graeciae particula fuit, diu quidem stetit; sed post paucos annos ab Atheniensibus Peloponnesiaco bello victis, Spartani imperii gloria cum Cleomene omnis concidit.

Sed iam hinc quis elisus, hinc item vires reficiat, et Carthaginiensem obiectet populum prorsus barbarum omniumque humaniorum artium imperitum, qui nec Spartanis formatus moribus cum populo Romano tamen iis artibus iisque animis concertavit, ut diu orbis terrarum imperium utri inclinaret incertum. Quot enim consulares exercitus, quot praetorios unus Hannibal trucidavit? quot signa, quot vexilla, quot aquilas cepit? quantum annulorum aureorum ex equitibus Romanis caesis metitus est? Ater

populo Romano Thrasymenus, funestus Trebia, detestabiles Cannae. Et hunc eludamus ictum. Numerat quidem Poenus clades Romanis datas; sed actos de Romanis triumphos non numerat. Quid ita? Quid? conferte utrinque belli caussas: Hannibal contra gentium ius fasque Saguntum petit, excindit, delet, ut inde belli fomenta rapiat; Romani a fide ad bellum adacti ut sociorum ulciscantur excidium. Conferte Scipionis in Hispania continentiam cum Hannibalis impura inter Campanos vita; intactam illius virtutem prudentiamque cum huius perfidia; quanta ille humanitate, hic quanta crudelitate exercitus in officio ac fide contineat. Conferte cum Carthagine Romam: haec, cum acri obsidione teneretur, iusto praecio fundos commercabatur, quem hostes insederant; illa, ubi semel ad moenia vidit hostes, funditus ruit: haec conferte, et ab Romanis veram belli gloriam, eius gloriae umbram a Poenis stetisse comperietis.

Sed dictis quis vestrum fortasse nondum etiam det manus, qui ex nostri temporis rebuspublicis Turcicam observarit a studiis literarum prohibitam et maximo imperio potentem armorumque gloria non vulgarem. At nisi Sergius impie Christiana doctrina abusus rempublicam Turcicam legibus fundasset, neque in eam Arabum, qui literati fuerunt, bona militiae instituta defluxissent, neque a nostris et novae belli machinae et novae propugnandarum expugnandarumque urbium artes proditae essent, quid? non dico tantum hostem, sed ullam prorsus eam rempublicam hodie in orbe terrarum haberemus?

Atque heic idem mihi evenire intelligo, quod iis, qui per avia sibi muniunt viam, et dum obiecta amoliuntur, una opera et itineris partem faciunt. Etenim cum ea, quae proposito argumento obstrui videbantur, disiiceremus, plurimum eius probavimus, quod bonarum studia literarum ad rem bellicam impense conducant. Nunc autem, si paullo ociosius eius rei caussam vestigare velimus, illa, nisi fallor, praecipua videtur: quod bella sint iuris iudicia. Novam diffinitionem fortasse mirati estis; rationes attendite. Duplex homini civitas: quarum unam natura dedit, alteram nascendi conditio; illa coelo, haec certis finibus terminatur; utraque suis legibus constituta; illam fas nationum, hanc populi,

senatus regisve iussa fundarunt; in utraque commercia, ibi foederibus, heic contractibus agitantur. Si quis privatus ex contractu obligatus sit, vel in legem fecerit, ius cum eo nostrum certis actionum formulis experimur; si quis autem populus in fas committat, vel foedus franget, quodnam conservandi humani iuris affulget remedium? Bella et arma. Si igitur iuris civilis sacerdotes veram, non simulatam philosophiam profitentur; si respublicae legibus optime constitutae non sunt, nisi quas sapientes fundarunt; si unum XII Tabularum libellum universis philosophorum bibliothecis Cicero gràvissimus philosophus anteponit: cum tantum praestet gentium ius civili, quantum uni civitati universum genus humanum; quantum sapientiam rei bellicae, quae est humani iuris prudentia, usui esse ad perfectam gloriam existimabimus? Enimvero, auditores, summum belli ducem hac virtutum corona magis quam conspicua galea cristaque insigniri necesse est: iustitia, ut honestae subsint bello caussae; moderatione, ut noscat et irasci et ignoscere; continentia, ut victis populis non adimat, nisi licentiam iniuriae; clementia, ut servare, quam perdere captos malit: inter milites facilem, inter pacatos innoxium, fide apud hostes gravi. Has summo belli imperatori sapientia ad eximiam belli gloriam animi virtutes confert, eas modo mentis cognoscite. Dialectica iudicii continentem instituet, ne temere in caecas ruat insidias, geometria castrorum metationem, instructionemque ordinum erudiet, aciesque modo in orbem obtundere, modo extenuare, modo quadrare, modo in cuneos disponere pro re nata. Arithmetica ex loco, quem hostes insident, eorum rationem putabit; munimentorum altitudines et itinerum spatia optice eminus speculabitur: architectura arces extruet, loricas obstruet, proferet propugnacula, fossa obducet; ad tormentorum excogitationem, ad mores et ingenia pernoscenda mechanica et moralis doctrina conferunt. Rerum gestarum lectio eum affert usum, habeat quid declinet, quid sequatur. Eloquentia ei adiumento est, ut segnes ad praelium excitet, re male gesta perculsos integret, victoria intemperantes coërceat. Quantum denique naturalis scientia conducat, ducum exempla confirmant, qui exercitus a lunae solisve deliquio conterritos, explicata caussa

erexerunt ad meliora. Hae tot tantaeque mentis animique virtutes ubinam gentium, nisi in iis, quibus et sapientissimi homines rempublicam optimis pacis bellique institutis fundarunt, et doctissimi homines optima reipublicae instituta literarum cultu conservant? Hinc puto factum ut eamdem deam sub Minervae Palladisque persona fictis fabulis sapientissimi poëtae tradiderint; hinc, quod Athenienses, acutissimi homines, Minervam, quam sapientiae numen putabant, eam suae arcis et fundatricem et praesidem coluerunt: ut sub commenti fabularumque involucris haec vera significarent: eiusdem esse reipublicae literis domi militiaeque armis clarescere.

— Sed, si tot tantarumque orbem scientiarum absolvere futurum imperatorem oporteat, in eo certe deferbuerit bellica virtus, quae una praestat, ut constet menti consiliorum dexteritas inter horrores et funera. — Ficulnum telum: non enim ea in summo belli duce cuncta desideramus, sed in summi ducis republica, ut si non in eo imperent, quod optimum esset, ei ancillentur tamen. Quod res est, populi literarum rudes et bonis pacis bellique institutis expertes pecora sunt; et si forte velint armorum rumore clarescere, non iusto exercitu rem gerunt, sed multitudine inundent necesse est; et si gentibus cultioribus potiantur, in iis quo tuti regnent, literas aut condiscant, aut deleant opus est: nam literarum studiis acuuntur ingenia, et ingeniosi populi pugilum instar sunt, qui non robore percellunt, sed articulo adversarios per tempus supplantant.

At nos heic de bellicae artis gloria, non inundationum cladibus ac vastationibus, de maximis imperiis fundandis, non de cultarum rerumpublicarum excidio, de Alexandro, de Caesare, non de barbaris ferarum gentium ductoribus, verba facimus. Populi autem literis culti, quamquam unis pacis institutis recte ordinati, quamquam a bello abhorrentes modo sint sive natura, sive munimentis tuti, nihil vetat, quin si intra suae ditionis claustra orbis terrae amplissimus detur, et maximum et beatissimum agitare possint imperium. Sint exemplo Sinenses, antequam ingens a Scithis murus perrumperetur. Populi vero illiterati, quibus sapientes viri optima pacis bellique instituta reliquerunt, dum instituta vigent et tempora institutis conformia

consequuntur, quia horum neutrum est diuturnum, aut brevi, aut nunquam per summam belli gloriam amplissima parare possunt imperia: nam, si apud hostes res militaris mutetur in melius, cum sint literarum incallidi a quibus nova bellica orta est, si imperium proferre velint, populi literis vel mediocriter docti, bellique gnari, quamquam opibus impares et ditione longe minores, iis virtute tamen et arte obstabunt, ut Hungariae reges Turcicae monarchiae fuerunt impedimento: sin novis ignotisque belli artibus impetantur, procul dubio corruent: ut omnia imperia, quae ignota instruendi acies arte vel novis machinis ab hostibus tentata sunt, neque a literaria re copiam imitandi, aut certe alia arte eludendi hostes habuerunt, occiderunt.

Sed neque pacis neque belli instituta vel optima sine diligentissimo literarum cultu et summam belli gloriam et monarchias parare possunt: quia in bellica arte praecipuum est nosse pugnandi tempora; qua de re, ut de ceteris prudentiae, nullum potest esse institutum: nam si leges sint, easque servare velis, cum eae certae sint, et occasiones infinitae, iam tibi multa vincendi tempora praeterierint; et dum tempora legibus cauta expectas, ab hostibus opprimeris. Hinc monarchias nunquam domi legimus partas, sed bello acieque fundatas. Optima autem rerum uni philosophi vident; quia uni philosophi rerum genera norunt. Et vero duo omnium praestantissimi imperatorum, Alexander Magnus et Iulius Caesar. Alexander evasit Magnus, qui ad magnitudinem Achillis, exemplo per Homeri lectionem exstimulatus, se conformavit. Caesar de imperatoriis virtutibus laudibusque cum Alexandro certat, quia lectione rerum ab Alexandro gestarum ad id maximorum ducum genus est inflammatus. Itaque et Alexandrum et Caesarem Homero, sive rei literariae, condicere explorato iure possimus.

Nam perpetuo ordine in historiis observamus, ubi literarum laus, ibi parem et belli. Floruit omni scientiarum et artium genere Graecia, floruit armis. Claruit sapientiae studiis Roma, claruit militia. Philosophiae studia, obscuris Christianorum seculis ad Arabes se receperunt, et armorum gloria celebrantur. Christiani rem literariam instaurant, excolunt, augent,

et omnium orbis terrarum gentium existunt bello clarissimi. Quare a quibus nationibus sapientia stetit, merito ibi orbis terrarum monarchiae constitutae. Eas quatuor rerum gestarum scriptores numerant: videte quaeso, an ratio constet. In Assyriis Chaldaei, sive eius gentis sapientes regnant; et mox Ninus primam fundavit: apud Persas Magi, sive eorum sapientes agitant regnum, et Cyrus aliam stabilivit: inter Graecos summi maximique philosophi claruerunt, et imperium orbis terrarum ad ipsos vergit: literarum studia apud Romanos excultissima, et maxime celebrata, et existit Augustus,

Imperium Oceano, famam qui terminet astris.

Cum bonarum igitur literarum cultus tanta armis imperiisque conferat ad gloriam et amplitudinem, quanta diximus, adiumenta; si amplissimo argumento ad earum studia, adolescentes, ducamini, huc animum appellate. Haec enim studiorum universitas templum est, ubi mens belli colitur, his studiis belli prudentia adolescit; a vobis generosi armorum sensus, a vobis praeclara rerum gerendarum consilia, a vobis egregiae ducum artes, a vobis denique belli gloria imperiique amplitudo proveniet.

## ORATIO VI

habita XV kal. novembris anno MDCCVII
cuius argumentum:

*Corruptae hominum naturae cognitio ad universum ingenuarum artium scientiarumque orbem absolvendum invitat, ac rectum, facilem ac perpetuum in iis addiscendis ordinem exponit.*

Dura mihi, medius fidius, adolescentum in bonis literis instituendorum conditio videtur, cum eorum parentes, qui neque harum rerum prudentes sunt, neque de his ipsis prudentes consulunt, filiorum ingenio ad quaenam id factum natumque sit inexplorato, et eorumdem naturae viribus inexpensis, ex sua animi libidine, et ut magis e sua re familiari esse putant, adolescentulos vel invita quam saepissime Minerva huic vel illi certae arti scientiaeve addiscendae addicunt; vel quamquam indoles eos ad eas ducant, tamen sine aliarum necessario instrumento ad ipsas illotis, ut aiunt, manibus tractandas propellunt.

Hinc illae lacrymae, hinc illa est misericordia,

cum ii vel praesidiis, quae ad disciplinam cui dant operam desiderantur, nudati, in ea aut nihil aut parum ac summa cum difficultate proficiunt; et parentum peccatum ingenii sui vicio imputantes, de doctrina spem prorsus omnem abiiciunt; vel quamvis doctiores evadant, quia tamen a proposito parentum abhorrent, sive quod illi, ut honores in familiam inferrent, hos iurisprudentiae applicarint, hi vero, quia animi sunt sive modesti sive pusilli clientelas, fasces, imperia nihil quicquam morantur, sive quod parentes repraesentati quaestus avidi filios medicinae arti dediderint, qui altiore animo praediti amplissimos viros, qui reipublicae in eius partibus praesunt, spectant et admirantur; illud hinc fit, ut tantisper dum eos pudor patris

continet, studia ingratiis et contemptim colant, non serio nec sedulo excolant; at ubi primum eo pietatis officio soluti sunt, eo literarum studio prorsus neglecto et posthabito, ad iners ocium, et saepe ad malas animi artes vitam traducant. Et si quis tamen est, qui, ut virum fortem decet, quam viam semel ingressus est, insistere velit, is sane quod ex parentum festinatione, nec rite, nec ordine, vel ex suo irato Deo neglectim et oscitanter didicerat, id aliena aetate curisque familiaribus et quandoque etiam publicis distentus, a surdis authoribus per semet ipsum ediscere debet; qua in re tot tantaeque se difficultates obiiciunt, ut compluribus saepe amarum duntaxat sanioris doctrinae desiderium relinquatur.

Cumque ego saepissime eius rei incommoda, immo vero infelicitates mecum ipse considerarem, ipsam incusabam naturam, per quam ita comparatum esset, ut homines ea aetate vitae agendae genus eligerent, qua omnium rerum ignaris nulla esset electio, et dum caussas eius rei vestigarem, id ad caput fontemque malorum omnium, Adae peccatum et originis vicium revocabam. Sed eam ipsam rem penitius perscrutanti, ipse mihi iniurius visus sum; cum si nostram ipsorum corruptam contemplemur naturam, eam sane non solum, quae studia excolenda a nobis sint admonere, sed et eorum viam ac rationem apertissime commonstrare sentiemus: quae duo sunt summa capita dicendarum.

Et an vera dicam quisque vestrum in se ipsum descendat, et hominem contempletur. Is enim vero se nihil aliud esse sentiat, quam mentem, animum et sermonem; corpus namque ac cetera discernet, et aut bruta, aut cum brutis communia esse iudicabit. Hinc notet hominem usquequaque corruptum, et primo linguae infantiam, tum mentem opinionibus involutam, animum denique viciis inquinatum comperiat: et has divinas esse poenas animadvertat, quibus summum Numen primi parentis peccatum puniit, ut humanum ab eo propagatum genus dissociaret, disiiceret, dissiparet. Nam tot linguarum generibus in impii Nemrotis poenam invectis et per universum terrarum orbem diffusis gentes alias ab aliis seiunxit: et unoquoque in aevum variante

et incerto, in iisdem quoque nationibus maiorum linguas posteris voluit ignoratas; opinionibus autem, cum unaquaeque a se habeat aliquam similitudinem veri, quam libido, ut cuiusque fert animus, pro vero arripiat; inde suus cuique sensus est, et, quod vulgo dicitur, quot capita tot sententiae; et cum denique vicii tanta sit turpitudo, ut viciosi conniveant suis, ne videant aliena, prorsus abominentur; atque adeo quibus ipsis nos laboremus, ea improbemus in aliis: unde avarus avarum nollet, iniurius cum iniurio iniuriam expostulat; per vicia Deus ne improborum quidem inter se hominum ullam voluit esse societatem.

Quin immo his ipsis poenis, quibus summum Numen ob reatum primae stirpis homines, ut ita dixerim, dispalarit, iisdem in unumquemque eorum miseris modis animadvertit; nam per infantiam innumeris in rebus lingua menti non succurrit, eamque, dum ad explicandum suam implorat opem, destituit; vel incondita ineptaque rusticitate sermonis mentis sensa fraudat verbis, quae dignitatem non habent; sive foedat turpibus sordidisque, sive fallit aut prodit ambiguis, ut aliorsum accipiatur quam loquitur; vel captetur per ea ipsa, quae loquitur. Ad haec linguae illa mentis accedunt mala: quod eam perpetuus stupor habeat, falsae rerum imagines ludant, ac saepe etiam illudant, temeraria iudicia dent praecipitem, sophismata captent, et rerum denique confusio distrahat ac disperdat. At hercule, quanto his graviora sunt illa animi, quem omni fretu ac euripo graviores agitant perturbationum tempestates et aestus, ut in cupiditatibus ardeat, horreat in timoribus, insaniat in voluptatibus, in doloribus ad languorem detur, omnia omnium habeat, nec ullo unquam delectetur ingenio; quod probavit, mox probet; mox improbet, quod probavit; semper sui poeniteat; se ipsum semper fugiat ac persequatur. Atque has omnes malas pestes malosque cruciatus carnifex suus ipsius amor exercet; in quem humanitate per vicium originis commutata, hominum coetus in speciem societates videntur, re autem ipsa in corporum frequentia summa est solitudo animorum; nisi potius ergastulorum vicinia sit, ubi animi, in suo cuique attributo, quas supra memoravimus, poenas luunt.

Corruptae naturae humanae supplicia enumeravimus linguae infantiam, mentis opiniones, animi vicia. Emendatae igitur dotes sunt eloquentia, scientia, virtus: quae sunt tria veluti puncta quae totus artium scientiarumque circumagitur orbis. His enim tribus praeclarissimis rebus sapientia continetur: certo scire, recte agere, digne loqui; ita ut hominem nunquam falsum esse pudeat, nunquam prave egisse toedeat, nunquam non pro dignitate loquutum esse poeniteat; qui sane verus homo est, quem graphice Terentianus exprimit Chremes:

> Homo sum: humani a me nihil alienum puto;

et Menedemum, qui stulti se ipsum cruciantis personam sustinet, non lucri spe ulla, non ex necessitudine aliqua, non ut gratiam referat, sed ex sola vicinitate, et caussam, cur is se ipsum cruciet, et afflictet sedulo perconctatur:

> Ne lacryma atque istuc, quicquid est, fac me ut sciam:
> ne retice; ne verere:

et serio illa promittit:

> Crede, inquam, mihi:
> aut consolando, aut consilio, aut re iuvero.

Tria ipsissima sapientiae officia: eloquentia stultorum ferociam cicurire, prudentia eos ab errore deducere, virtute de iis benemereri; atque eo pacto pro se quemque sedulo humanam adiuvare societatem. Quae qui faciant, ii sane multum supra homines, parum, fas sit dicere, infra numina viri sunt, quos non fucata nec fluxa, sed solida et vera gloria consequitur, nempe fama meritorum, quo fieri a quoque possit, ampliorum, longe lateque pervagata. Nec sane alio fictis fabulis poëtae sapientissimi Orpheum lyra mulxisse feras, Amphionem cantu movisse saxa, iisque sese sponte sua ad symphoniam congerentibus, Thebas moenisse muris; et ob ea merita illius lyram, delphinum huius in coelum invectum astrisque appictum esse finxerunt. Saxa illa, illa robora, illae ferae homines stulti sunt: Orpheus, Amphion sapientes, qui divinarum scientiam humanarumque

prudentiam cum eloquentia coniunxerunt, eiusque flexanima vi homines a solitudine ad coetus, hoc est, a suo ipsorum amore ad humanitatem colendam, ab inertia ad industriam, ab effrena libertate ad legum obsequia traducunt; et viribus feroces cum imbecillis rationis aequabilitate consociant. Is perpetuo est horum studiorum verissimus, amplissimus et praeclarissimus finis: quem quia complures sibi non proponunt, ex falsis, viciosis abiectisque moventur; cumque falsis, viciosis, abiectisque moveantur, aut falso, aut viciose, aut abiecte haec studia profiteantur necesse est. Atque heic facile possem eorum genera exequi; sed honoris caussa silentio praetermitto. Illud duntaxat in summa dixerim: qui in hisce studiis ad sapientiam non spectat, hoc est, ea non excolit, ut suam emendet naturam, et mentem vero, animum virtute, linguam eloquentia conformet, quo et sibi constet homo, et humanam, quantum ab eo est, iuvet societatem; is saepe alius est, alium profitetur: saepe multis hiscit arti necessariis, quam profitetur: saepe fastidit, negligit et affligit artem ipsam, quam profitetur. At vero qui sapientia naturam emendare corruptam studet, nunquam non omnibus suae artis praesidiis instructus agit, semper sedulo ac serio agit, semper ex suae artis proprio fine agit. Et in civitate ubi professores ex vero consummate et solius humanitatis gratia artes profiteantur, quam florentes sint cives, quam beata respublica, vobis ipsis, ne multus sim, coniiciendum relinquo.

Firmato igitur quod ipsa humanitatis depravatae contemplatio nos ad universum humanarum artium scientiarumque orbem absolvendum admoneat, nunc videamus quonam ordine (quae erat nostri argumenti pars altera) eas nobis perdiscendas commonefaciat.

Eo quo id facilius intelligere possitis, prius ipsam sapientiae suppellectilem omnem, instrumentumque explicemus. Sapientia, ut saepius dictum est, rerum divinarum cognitione, humanarum prudentia et orationis veritate dignitateque continetur. Sed cum vere tum digne orationis doctrinam illa recti sermonis praemittatur necesse est, quam grammatice tradit. Succedit rerum divinarum cognitio, quas heic accipio, et quarum Deus natura est, et

naturales dicuntur; et quarum natura Deus est, et proprio vocabulo « divinae » appellantur. Naturalium rerum contemplamur vel ea, de quibus iam inter homines convenit et constat, formas et numeros, de quibus mathesis suas conficit apodixes; vel caussas, de quibus maxime inter doctissimos homines disceptatur, quas explicat physice; ad quam revoco anatomiam, quae est fabricae humani corporis contemplatio; et eam medicinae partem, quae morborum caussas vestigat, et aliud non est, nisi physice humani corporis aegrotantis. Nam quae morborum tradit curationes, et proprio vocabulo medicina « ars » appellatur, ea est physices et anatomes practicum veluti corollarium, quemadmodum physices et mathesis est quaedam operaria appendix mechanice. Divinae autem res sunt mens humana et Deus; quae duo metaphysice ad scientiam, theologia ad religionem considerat. His itaque doctrinis cognitio naturalium rerum ac divinarum absolvitur. Humanarum rerum prudentia id pollicetur, ut quisque officium faciat suum, et ut homo et ut civis. Hominem probum moralis, sapientem civem doctrina civilis instituit; quae utraque ad nostram religionem accommodata, theologia est, quam moralem appellant: quae tres doctrinae in iurisprudentiam corrivant et confluunt. Ea enim constat ferme tota ex doctrina morali: nam neque scientia, neque ars, sed prudentia iuris est, et iustitiam sibi habet propositam; ex civili, ad publicam enim spectat utilitatem; et ex morali theologia, nam iura in Christiana republica interpretatur. Porro de rebus divinis et humanis vel inter doctos disserimus, vel inter rudes eloquimur: ibi vera, hic digna oratione necesse habemus. Vera autem oratio logicae, digna numeris soluta rhetoricae, costricta vero poëticae artis et scopus et opus est.

Nunc sciatis oportet eas ferme omnes artes scientiasque, quas memoravimus, suas habere historias comparatas: et uti institutiones rerum genera prosequuntur, ita historiae species, sive exempla consignant. Linguarum historiae sunt optimi in unaquaque scriptores, ab iis enim exempla traduntur, quibus hunc vel illum populum ita locutum esse firmetur; et clari oratores ac poëtae oratoriae poëticaeque artis sunt exemplaria. De physicis

phoenomenis et historiae conscriptae sunt, et scribuntur in dies. Quid certae morborum observationes eorumque diarii, et certa pharmaca excogitata, quae vulgo « specifica remedia » vocant? nonne sunt physicae artisque medicae commentarii? Et de novis bellicae, nauticae, architecturae inventis historias scribit mechanice. Dogmaticae et moralis theologiae haud prave historias dixeris, quae dogmata fidei a summo Numine revelata, et regulas de moribus aliis atque aliis temporibus praescriptas tradunt. Certe quidem sacros libros magna ex parte historicos theologi numerant: et traditio ecclesiastica quid est, nisi doctrinae disciplinaeque ecclesiasticae perpetua nec unquam interrupta successio? Atqui commentarii, annales, clarorum vitae virorum et rerumpublicarum monumenta, moralis et civilis doctrinae tam propriae sunt, ut dominanti vocabulo « historiae » nuncupentur. Iurisprudentiae vero historiae sunt, quae leges in republica hoc vel illo tempore rogatas, et ad eas a iurisconsultis interpretationes adhibitas, et rerum iudicatarum exempla complectuntur. Mathesis autem historias non habet, quia exemplis non utitur; nec logice, quia utitur alienis, et ubi ea desunt, confingit; multo minus metaphysice, quia mentem humanam et Deum, ut purissimas simplicissimasque naturas, nihil praeterea comtemplatur.

Atque hoc loci divisionem illam, qua disciplinae omnes in acroamaticas et exotericas diducuntur, a Graecis quidem accipio, sed aliorsum accipio; ut acroamaticae, sive quae a doctoribus audiendae sunt, quo facilius acquirantur, sint ipsae artium scientiarumque institutiones; exotericae vero, quibus addiscendis ex se quisque par est, sint quae de artibus scientiisque prodierunt historiae.

Expositis igitur omnibus humanarum artium scientiarumque copiis, in iis ordine ad sapientiam ediscendis nostram ipsorum corruptam naturam sequamur ducem. Nullum sane dubium est, quin pueritia, quantum ratione infirma aetas est, tantum memoria valeat: pueri enim vix trimuli omnia verba, omnes locutiones ad omnem vitae usum necessarias iam tenent, quas ingens lexici volumen vix capiat. Nulla doctrina ratione minus,

magis memoria constat, quam sermonis, nam eius ratio consensus et usus populi est:

Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi.

Nulla igitur sane aetas linguis addiscendis aptior, quam pueritia. At heic quis vestrum roget: quibusnam linguis potissimum danda sit opera? Id vos docet ipsa corruptae naturae cognitio; etenim in praecipuis poenis, ad quas damnata est, enumeravimus linguarum barbariem, varietatem, incertitudinem in humanae societatis distractam. Haec itaque vicia sunt emendanda linguarum eruditione, quae, quantum fieri possit, doctae sint, certae, communes, ut per eas, quantum pote est, humanam societatem complectamur. Eae autem duae sunt: graeca una, latina altera, utraque certa; sed graeca doctior; nunc latina communior. His igitur a pueris incumbendum; et praeterea, quo deinde sanius sacrorum sententias librorum assequantur, qui theologiae Christianae praecipuum sunt instrumentum, eos sanctae quoque linguae dare operam iuvat.

Pueritia superata, mens humana seu ratio ex materiae luto altius emergere occipit. Mentis autem poenas ob originis vicium inflictas diximus esse opiniones. Corrupta igitur natura ab ea aetate opiniones profligandas expostulat. Atqui in ephoebis phantasia plurimum pollet: cuius rei illud argumento sit, ut quam semel adolescentuli de longinquis urbibus ac regionibus formam situmque confinximus, vix reliqua aetate de iis aliam imaginem conformemus; tam alte prior caelata est, ut complanari, et alia super ea induci non possit. Nihil autem rationi magis, quam phantasia adversatur: quod in foeminis experimur, quae quia phantasia praevalent, ratione minus utuntur: quamobrem acrioribus quam viri animi perturbationibus infestantur. Cum haec ita sint, medicos imitari necesse est, qui mala venena cum modo morbis adhibent et medentur. Phantasia attenuanda est, ut per eam ipsam ratio invalescat, et mathesi ab adolescentibus incumbendum: quae doctrina vehementi imaginum conformandarum vi plurimum adiuvatur; nam saepe longissimam formarum, aut numerorum seriem mente contueri necesse est, ut apodixeos,

quae inde conficitur, veritas agnoscatur. Sed cum puncta lineasque sine omni crassitie et corpulentia consideret, per eam mens humana liquescit, et incipit defoecari. Atque eo pacto adolescentes in rebus, de quibus iam inter homines convenit, ex dato vero verum conficere assuefiunt; ut in physicis, de quibus maxime contenditur, idem praestare possint.

Nam procedente aetate, et mathesis usu mens humana iam corporis vinculis solutior est, et ordinatior agit: atque ex rebus, quae sensu percipiuntur, par est, quae omnem sensum effugiunt colligere, adhuc corpora tamen. Itaque a mathesi physicae opera danda est, quae insensibilia corpora eorumque insensibiles et figuras et motus, quae sunt naturalium rerum principia et caussae, contemplatur. Itaque per mathesim et physicam mens humana a pingui crassoque cogitationum genere, tamquam per gradus, depuratur, ut ad res spiritales contemplandas accedat, et intellectu mero puroque se ipsam, et per se ipsam Deum Opt. Max. intelligat; ac per mathesis data, per physices dubia ad metaphysicen, quae res veras, certas et usquequaque exploratas aperit, perducatur.

Atque ita vobis metaphysice expeditis, cum iam regulam tenueritis de falsis, dubiis verisque iudicandi, hoc loci commoda explicatu est ipsa ars dissertatrix. Tum cognito Deo Opt. Max. quem natura fatetur, ad eum cognoscendum gradum faciatis, quem nostra religio profitetur; et theologiae Christianae animum adiungatis.

Absolutam rerum divinarum scientiam humanarum prudentia sequitur: in quo doctrinarum ordine navium gubernatores imitari debemus: et quemadmodum ii coelestia observant, cynosuram aliaque astra, quo certa per oceanum itinera teneant, et ad quos portus contendunt, inoffenso cursu naves appellent; ita nos divina contemplemur, mentem humanam, summumque numen; earumque rerum scientia tamquam cynosura utamur, quo per medias opinionum syrtes, dubiorum vada et coecos errorum scopulos humanae vitae cursum cautius tutiusque dirigamus. Cum enim stulti homines veri internoscendi solertiam non habeant, veros honorum et malorum fines, quod est omnis

humanae prudentiae caput, ignorant. Cumque mala multa sint, quae bonorum, contra multa bona, quae malorum speciem obiiciunt; earum imprudentes rerum corporis voluptates sequuntur; labores, paupertatem ac mortem honestam abhorrent: unde per vicia se ipsos affligunt, et humanam societatem corrumpunt. Iccirco corrupta hominum natura scire desiderat, quia beatam esse desiderat.

Qui ad sapientiam igitur humanam beatitudinem parentem literarum studia non ordinarit, solvit fortasse linguae aut mentis poenas, animi non absolvit. Quare complures sunt doctissimi homines, qui tamen ambitione circumaguntur, de fluxa eruditionis gloriola anxii vivunt, invidia doctiorum uruntur. Id eo fit, quia quae studia ad sapientiam comparandam sunt media, sibi fines proposuerunt. Verus igitur disciplinarum, quas praemisimus, usus est, ut mens veris assuescat; ut, cum semel assueverit, delectetur, ut cum velit, facile possit, et cum possit, impensius velit veros bonorum fines in vita agenda deligere: nempe virtutes et bonas animi artes, et per eas mentis divinitatem excolere, et per mentem adire Deum.

Quare, divinarum rerum scientia imbuti, humanae prudentiae studeatis, primum morali, quae hominem, tum civili, quae civem format. Hinc, eas edocti, morali theologiae facilem operam dabitis ut olim a confessionibus principum eos in ordinandis regendisque rebus publicis quam sapientissimis consiliis dirigatis. Porro ad iurisprudentiam addiscendam multo expeditiores agetis: quae ex morali, civili et Christianorum, tum dogmatum, tum morum doctrina ferme omnis derivat. Tandem, ut quisque vestrum, his sapientiae studiis instructus, non sibi aut paucis, sed longe lateque de humana societate benemereri et iuvare quam plurimos possit, sapientiae studiis illa eloquentiae coniungat. Neque enim quis vestrum, quando haec omnia ad sapientiam studia excolenda sunt, in iis a doctoribus condiscendis dubitet consenescere. Consenescet sane, et nequicquam consenescet, si qua ex iis non rite instructus colat, si non ex suo cuiusque fine colat, si perverso ordine colat; ut quos Fabius Quintilianus eleganter in hoc argumento dixit « compendio morari »; eos argutius, nec minus ex

vero, ni fallor, dixeris, haerere, quia properant. Quid illud, quod nemini aeque plura obiici solent impedimenta, quam festinanti? Et qui confusis studiorum ordinibus agunt, ut in labyrintho movent, non promovent. At via omnium brevissima recta est: et ordinis haec virtus multa brevi loco concludere. At quia haec studia natura coniuncta et quo enarravimus ordine disposita, hominum vicio scissa saepe et turbata sunt, multa videntur, at reipsa non multa, sed eadem deprehendas multiplicata. Artium enim institutiones et scientiarum doctrinae, quas acroamaticas censuimus, et a doctoribus ediscendas, si nihil in aliis aliunde forinsecus accersatur (quid enim opus est accersiri, si omnia suo quaeque loco dispensate edocentur?) sunt ferme omnes brevissimae. Scientiarum artiumque historias exotericas esse existimavimus, ut eas per vosmet ipsos erudiri possitis.

Atque habetis, optimae spei adolescentes, quod sequamini de studiorum fine et ratione consilium, si ab honestate spectetis praeclarissimum; si ab utilitate, optimum; si a facilitate, expeditissimum, quod me dedisse non poenitet: quia, quamquam sapiens non sim, in eo tamen dando sum sapientes secutus. Si semper faciunt, quia semper possunt: ego, quando mihi haec, quae dixi, corruptae meae naturae cognitio admonuit, in hac suasione feci; quia in hac tantum potui, ut sedulo serioque et ex meae artis proprio fine vobiscum agerem, et pro mea virili parte humanam adiuvarem societatem.

# II

# DE NOSTRI TEMPORIS STUDIORUM RATIONE

DISSERTATIO IN REGIA REGNI NEAPOLITANI ACADEMIA

XV KAL. NOV. ANNO MDCCVIII

AD LITERARUM STUDIOSAM IUVENTUTEM SOLENNITER HABITA

DEINDE AUCTA.

CAROLO AUSTRIO

TERTIO EIUS NOMINIS

HISPAN. ET NEAP.

POTENTISSIMO REGI

QUOD

SERIE

MAXIMARUM RERUM

TERRA MARIQUE GESTARUM

REGNUM NEAP. RECIPERARIT

CUIUS

AUSTRII PRINCIPES

EAM ESSE FORMAM

VOLUERUNT

UT

SAPIENTIAE STUDIIS

ET IN HAC CIVITATE

ET IN UNIVERSA MONARCHIA

HONORES

MAXIMI AMPLISSIMIQUE

PATERENT

REGIA HUIUS REGNI ACADEMIA

STUDIORUM INAUSPICATIONEM

CIRCUMAGENTIS ANNI MDCCVIII

GRATI ANIMI ET OBSEQUII ERGO

D. D.

AD

VINCENTIUM GRIMANUM

S.R.E. CARDINALEM AMPLISSIMUM

ET EXCELLENTISSIMUM

REGNI NEAPOLITANI

·PRO

# CAROLO AUSTRIO

TERTIO EIUS NOMINIS REGE

MODERATOREM

OFFICIUM

Cum sacri iuris sit, Vincenti Grimane, cardinalis amplissime, res haud consecratas haberi, quae non sunt rite per pontifices dedicatae; cumque regia haec regni Neapolitani academia studiorum huius anni inauspicationem Carolo tertio Austrio, Hispaniarum nostroque potentissimo regi, vovisset; et religio esset, tamquam profanos adire principem, qui et sua regis vi sacer et regiarum virtutum, quae eum exornant, divinis prope honoribus dignus est; diligentissimis tecum precibus egit, ut qui cum nostra omnium felicitate in hoc regno moderando tanti regis sacra, iustitiam, fidem concordiamque tueris, tua praesentia et authoritate hoc votum suum quam solennissime exolverent. Existimasti tuum haec castissima sapientiae desideria rata facere: quando in ea republica natus es, quae sapientissimis institutis fundata, cum omnes orbis terrarum omnis memoriae respublicas aequabili statu imperii devicisset, temporum aeternitati videtur condita, iis maioribus ortus, qui

talem tantamque rempublicam sapientissimis consiliis domi militiaeque illustrarunt; ea demum sapientia praeditus, ut tua unius mens ingentes valeat exercitus quo debita Carolo regna paret, universos senatus quo parta conservet. Esset modo, ut tibi tantae dignationis gratias cum tuis laudibus admixtas ageremus; sed grates te dignae tua ipsius aeterna sunt benefacta, et tunc te pro dignitate laudari existimas, cum quisque nostrum, te moderatore, suum sedulo obeat munus. Itaque, quando per tuam sapientiam licet, ad hos sapientiae novitios orationem convertam.

# DISSERTATIO

I. DISSERTATIONIS CONSTITUTIO. — Dissertationis argumentum — In hac dissertatione, non scientiae, sed studiorum rationes, nostra et antiquorum, comparantur — Omnis studiorum ratio quibus rebus contineatur — Disserendorum oeconomia — Nova scientiarum instrumenta — Nova studiorum adiumenta — Hodie qui studiorum finis?

II. COMMODA NOSTRAE STUDIORUM RATIONIS AB INSTRUMENTIS SCIENTIARUM. — Criticae — Analysis — Methodi geometricae in physicam inductae — Chemicae in medicinam invectae — Spargiricae — Chemicae in physicam importatae, et mechanicae in medicinam — Microscopii — Telescopii — Nauticae urnae — Nostrae geometriae et physicae in mechanicam illatarum — A novis studiorum adiumentis — Artium de prudentiae rebus redactarum — Optimorum artium exemplorum — Typorum literariorum — Universitatum studiorum — A studiorum fine.

III. NOVAE CRITICAE INCOMMODA. — Officit prudentiae — Obstat eloquentiae — Impedimento est artibus, quae phantasia vel memoria vel utraque pollent — Ut novae criticae incommoda declinabant antiqui — Prae critica hodie contemnitur topica — Incommode — Ut incommoda, quae nova affert critica, vitantur.

IV. INCOMMODA METHODI GEOMETRICAE IN PHYSICAM IMPORTATAE. — Restinguit studium ulterius contemplandae naturae — Quomodo physicae ut philosophi et quidem Christiani studeamus — Occludit facultatem acute ornateque dicendi — Obstat liberae et amplae dicendi formae — Iners gignit dicendi genus, in eloquentia maxime fugiendum — Ut eius vitantur incommoda.

V. DE ANALYSI. — Dubitatur ne non mechanicae sit inutilis. — Analysis incommoda, ut declinantur.

VI. QUAE REI MEDICAE NOSTRA STUDIORUM RATIO GIGNAT INCOMMODA. — Ut rei medicae incommoda declinantur.

VII. INCOMMODA, QUAE MORALI CIVILIQUE DOCTRINAE ET ELOQUENTIAE NOSTRA STUDIORUM RATIO AFFERT A FINE. — De doctrina civili — De eloquentia — De doctrina civili denuo — De eloquentia iterum — Ut nostrae studiorum rationis incommoda a prudentia et eloquentia arceantur.

VIII. DE RE POËTICA. — Nova critica quando rei poëticae utilis — Methodus geometrica poëticae commoda — Verum in idea sive ex genere prudentiam poëticam recte dirigit. — Recentior physica rei poëticae proficua.

IX. DE CHRISTIANA THEOLOGIA.

X. INCOMMODA ARTIUM DE ARGUMENTIS PRUDENTIAE REDACTARUM. — Ut eorum incommoda declinantur.

XI. DE IURISPRUDENTIA. — De iurisprudentia Graecorum — De iurisprudentia Romanorum — Iurisprudentia in republica libera — Iurisprudentia sub Caesaribus ante Hadrianum imperatorem — Iurisprudentia sub Hadriano imperatore — Iurisprudentia sub Constantino imperatore — Commoda incommodaque in iurisprudentia addiscenda — I commodum — I incommodum — II commodum — II incommodum — III commodum — III incommodum — IV commodum — IV incommodum — V commodum — V incommodum — VI incommodum — VI commodum tentabunde — Accursianae iurisprudentiae commodum — Incommoda — Unum — Alterum — Alciatianae iurisprudentiae commodum — Incommoda — Primum — Secundum — Ut incommoda in addiscenda iurisprudentia vitari possent.

XII. DE OPTIMIS ARTIFICUM EXEMPLIS. — Quae incommoda gignant — Ut superantur incommoda ab optimis artificum exemplis obiecta.

XIII. — DE TYPIS LITERARIIS. — Quae afferant incommoda — Ut vincuntur quae typi afferunt incommoda.

XIV. — DE UNIVERSITATIBUS STUDIORUM. — Quae incommoda pariant universitates studiorum — Ut ea incommoda castigantur.

XV. DISSERTATIONIS CONCLUSIO.

## I

Franciscus Baco in aureo *De augumentis scientiarum* libello novas artes scientiasque, praeter quas hactenus habemus, et quas habemus, quatenus oporteret, perduci, indicat, ut humana sapientia omnino perficeretur. Sed dum novum scientiarum retegit orbem, novo magis quam nostro terrarum orbe se dignum probat. Etenim eius vasta desideria adeo humanam industriam exuperant, ut potius quid nobis ad absolutissimam sapientiam

necessario desit, quam quod suppleri possit, ostendisse videatur. Idque puto factum, ut solet, quod qui summa tenent, ingentia atque infinita desiderent. Itaque talis in re literaria Verulamius egit, quales in rebus publicis maximorum potentes imperiorum, qui, summam in humanum genus potentiam adepti, ingentes suas opes in ipsam rerum naturam vexare, et sternere saxis maria, velificare montes, aliaque per naturam vetita irrito tamen conati sunt. Enimvero omne, quod homini scire datur, ut et ipse homo, finitum et imperfectum. Quod si nostra cum antiquis tempora comparemus, reique literariae utrinque pensemus utilitates et damna, eadem nobis ratio cum priscis fortasse constiterit. Multa enim nobis detecta, antiquis penitus ignorata: et multa antiquis gnara, nobis prorsus incognita: complures nobis sunt facultates, ut in alio literarum genere proficiamus; complures illis, ut in alio fuere: illi toti in aliquibus artibus excolendis, quas nos fere negligimus; nos in quibusdam, quas illi plane contempserunt: multae illis commode unitae doctrinae, quas nos discerpsimus, et aliquot nobis, quas illi incommode divisas tractarunt: tandem non paucae duntaxat speciem mutarunt et nomen. Quae mihi res argumentum apud vos, ingenui adolescentes, disserendum praebuerunt: Utra studiorum ratio rectior meliorque, nostrane, an antiquorum? In quo edissertando commoda incommodaque utriusque ad exemplum conferemus: et quae nostra incommoda vitari, et qua ratione possint: quae autem non possint, cum quibus antiquorum incommodis compensentur. Res nova est, ni fallor; sed tam scitu necessaria, ut mirum, quod nova sit. Invidiam declinaverim, si me non tam nostra vel antiquorum incommoda reprehendere, quam utriusque aetatis commoda componere velle existimetis. Vestra caussa est: ne si plus quam antiqui aliis in partibus scitis, aliis minus sciatis; sed habeatis rationem, qua plus quam antiqui in ipsa summa scire possitis; et quae nostrae studiorum rationis incommoda vitari non possunt, incommodorum antiquae memores aequo animo perferatis.

Et quo rem facilius intelligere totam possitis, illud internoscatis oportet, me non heic scientias scientiis, artesque artibus

nostras et antiquorum comparare: sed quid nostra studiorum ratio antiquam vincit, ecquid ab ea vincitur, et quo pacto, ne vincatur, disserere. Quare novae artes scientiaeque et nova inventa a novis sciendi instrumentis adiumentisque, si non separanda, distinguenda sunt tamen: illa namque studiorum materies est; haec via et ratio, proprium nostrae dissertationis argumentum.

Studiorum enim ratio tribus omnino rebus omnis contineri videtur: instrumentis, adiumentis et fine. Instrumenta enim ordinem complectuntur: nam qui instructus ad aliquam artem scientiamque addiscendam accedit, rite et ordine accedit. Instrumenta autem praeeunt; adiumenta comitantur; finis vero, quamquam sequitur, ad eum tamen studiosi et a principio, et per omnem studiorum rationem spectare debent. Pro hoc item ordine nostram dissertationem dispensemus, ut primo de instrumentis, tum de adiumentis nostrae studiorum rationis disseramus. De fine autem, quia per eam, uti sanguis per totum corpus, diffunditur; quemadmodum sanguinis motus, ubi sensibiliores arteriae sunt, observatur; ita, inquam, de nostrae studiorum rationis fine, ubi is magis emineat, disputabimus.

Nova autem scientiarum instrumenta alia et ipsa scientiae sunt, alia artes, alia mera artis opera, vel naturae. Omnium scientiarum artiumque commune instrumentum est nova critica; geometriae analysis; physicae haec ipsa geometria, eiusque methodus, et nova fortasse mechanica; medicinae instrumentum est chemica, et ex ea nata spargirica; anatomiae microscopium; telescopium astronomiae; geographiae denique polaris lapidis urna. In novis autem adiumentis enumero artes de compluribus rerum argumentis, quae antiquitus prudentiae committebantur, redactas; optimorum copiam exemplorum, typos literarios, et studiorum universitates constitutas. Finis autem omnium studiorum unus hodie spectatur, unus colitur, unus ab omnibus celebratur, veritas. Quarum rerum omnium sive facilitatem, sive utilitatem dignitatemque spectetis, nostra studiorum ratio omni procul dubio antiqua rectior esse meliorque videatur.

II

Etenim critica id nobis dat primum verum, de quo, vel cum dubitas, certus fias; et quo omnem prorsus Academiam novam profligasse existimatur. Analysis autem mira methodi facilitate problemata geometrica antiquis insoluta dissolvit. Et antiqui geometria et mechanica, tamquam physicae instrumentis, usi sunt; non perpetuo tamen: nostri iisdem et perpetuo, et melioribus. Nam geometriam analysi explicatiorem, et mechanicam novamne, nostrae disputationis non est; novis certe et ingeniosissimis inventis auctam adhibent duces: et, ne ab iis unquam in tenebricoso naturae itinere deserantur, methodum geometricam in physicam importarunt, qua veluti Ariadneo aliquo filo alligati, institutum peragunt iter, et caussas, quibus haec admirabilis mundi machina a Deo Opt. Max. constructa est, non iam tentabundi physici, sed velut immensi alicuius operis architecti describunt. Chemica antiquis prorsus incognita, quibus adiumentis instruit medicinam! quae chemicorum phaenomenon similitudine apposita, quam plurimas humani corporis functiones et morbos nedum coniicit, oculis plane cernit. Certe spargirica, eius soboles, desiderabatur antiquis: nos eorum voti compotes facti sumus. Et chemica a quibusdam in physicam invecta est; uti et a quibusdam mechanica in medicinam. Et chemico-physica nonnulla meteora aliaque naturae opera manu pene facit: mechanico- autem medicina per machinae momenta humani corporis describit morbos et curat. At anatome praeter sanguinis circumitum, nervorum originem et innumeros succos, vasa ductusque humani corporis, per quae iam praestabat antiquae, microscopii praesidio glandium miliarium, minutorumque viscerum, plantarum, bombicis insectorumque, et praecipue ad generationem planissime perspiciendam, ovi incubati descriptionem; quae omnia antiquorum oculos effugerunt, luculenter illustrat. Et astronomia, telescopio adiuta, nova sidera, multas solis easque variantes maculas et erronum phases observat: quae

res detectae complura Ptolemaici de universo systematis vicia detexerunt. Antiqui ultra Oceanum alias esse terras tamquam vates per incerta divinabant; nos vero nauticae urnae usu reteximus, et geographia mirum quantum illustrata! Quis credat, homines hodie non solum cum sole universum terrarum orbem ambire, sed ultra solis vias egredi posse, minori temporis spacio, quam quo sol ipse intra eas suum conficiat cursum! A geometria et physica, qua metodo hodie docentur, aucta mechanica, quot, quantis, et quam miris inventis humanam auxisse societatem videtur. Certe ex iis nostri temporis bellicam natam dixeris: quae tantum antiquos est praetergressa, ut prae nostra muniendarum expugnandarumque urbium ratione Minerva suam Athenarum contemneret arcem, et trisulcum fulmen Iupiter obtusum brutumque increparet. Tanta sunt nostra scientiarum instrumenta, quanta nunc studiorum adiumenta videamus. De multis enim rerum argumentis, quae olim uni prudentiae relinquebantur, artes redactae sunt: quod in specie de iurisprudentia opus antiqui efficere, difficultate deterriti, desperarunt. Praeterea in re poëtica, oratoria, pictura, sculptura aliisque artibus, quae imitatione constant, ingenti optimorum copia exemplorum abundamus; quibus nostri commonefacti et rectius et facilius ipsam possunt optimam imitari naturam. Atque adeo typorum beneficio omnia libris scatent: quare apud nostros tam multi sunt non unum et item alterum scriptorem docti; sed multa, varia, ac pene infinita lectione eruditi. Denique universitates studiorum institutas habemus, omnique scientiarum et artium genere instructas, quibus hominum mens, animus et lingua perficiatur. Atque in his ferme omnibus literarum studiis ad unum hodie spectatur finem, veritatem; quam si laudare instituam, illa dignus sim admiratione: quis unquam vituperavit?

Haec nostrae studiorum rationis commoda ad examen revocamus: et an ullis expertia bonis, quae antiquis erant, vel malis admixta, quae non erant, videamus: et an nostrae mala vitare, et antiquae bona quoque consequi, et quo pacto possimus: quae autem non possimus, cum quibus antiquae malis pensentur, disseramus.

III

Et principio, quod ad scientiarum attinet instrumenta, a critica hodie studia inauguramur: quae, quo suum primum verum ab omni, non solum falso, sed falsi quoque suspicione expurget, vera secunda et verisimilia omnia aeque ac falsa mente exigi iubet. Incommode quidem: nam adolescentibus quam primum sensus communis est conformandus, ne in vita agenda aetate firmati in mira erumpant et insolentia. Ut autem scientia a veris oritur, error a falsis, ita a verisimilibus gignitur sensus communis. Verisimilia namque vera inter et falsa sunt quasi media: ut quae fere plerumque vera, perraro falsa. Itaque, cum maxime adolescentibus sensus communis educi deberet, verendum ne iis nostra critica praefocetur. Praeterea sensus communis, ut omnis prudentiae, ita eloquentiae regula est: nam saepe oratores magis caussa laborant vera, quae nihil verisimile habeat, quam falsa, quae credibili ductu constet. Quare periculum subest, ne nostra critica adolescentes reddat eloquentiae ineptiores. Denique nostri critici ante, extra, supra omnes corporum imagines suum primum elocant verum. Sed id adolescentibus immature atque acerbe praecipiunt. Nam ut senectus ratione, ita adolescentia phantasia pollet: neque sane pueris, quae beatissimum futurae indolis specimen semper habita est, excaecari ullo modo oportet. Et memoriam, quae cum phantasia, nisi eadem, certe pene eadem est, in pueris, qui nulla alia mentis facultate praestant, excoli impense necesse est: neque ingenia ad artes, quae phantasia, vel memoria, vel utraque valent, ut pictura, poëtica, oratoria, iurisprudentia, quicquam sunt hebetanda: neque critica, quae omnium artium scientiarumque instrumentum nostris commune est, ulli debet esse impedimento. Haec incommoda declinabant antiqui, quibus geometria ferme omnibus erat logica puerorum. Nam medicos imitati, qui, quo natura vergit, incumbunt, scientiam iis, quae sine acri imagines conformandi vi haud recte percipi potest, tradebant; ut nulla vi naturae facta, sed sensim, et placide pro aetatis ingenio consuefierent rationi.

Deinde sola hodie critica celebratur; topica nedum non praemissa, sed omnino posthabita. Incommode iterum: nam ut argumentorum inventio prior natura est, quam de eorum veritate diiudicatio, ita topica prior critica debet esse doctrina. At enim eam nostri facessunt, et nullius usus putant: nam sat est, inquiunt, homines modo critici sint, rem doceri, ut quid in ea veri inest inveniant; et quae circumstant verisimilia, eadem ipsa veri regula, nullam topicam docti vident. Sed qui certi esse possunt vidisse omnia? Unde illa summa et rara orationis virtus existit, qua « plena » dicitur, quae nihil intactum, nihil non in medium adductum, nihil auditoribus desiderandum relinquit. Natura enim incerta est, et praecipuus, immo unus artium finis, ut nos certos reddat, recte fecisse: et critica est ars verae orationis, topica autem copiosae. Deinde in topica, sive medii inveniendi doctrina exerciti (« medium » Scolastici dicunt, quod Latini « argumentum » appellant), cum iam norint omnes argumentorum locos in disserendo, ut scribendi elementa percurrere, iam facultatem habent ex tempore videndi quicquid in quaque caussa insit persuadibile. Qui vero eam facultatem adepti non sunt, oratoris nomen vix merent: quorum munus id est praecipuum, ut in rebus fervidis, quae cunctationem, vel comperendinationem non patiuntur (ut in nostro foro, in caussis, quae crimine constant, et vere oratoriae sunt, saepissime usuvenit), reis, quibus paucae horae ad dicendam caussam sunt praestitutae, praesentem opem afferre possint. At nostri critici, cum quid dubii iis oblatum est, illud respondent: — Ista de re sine cogitem. — Ad haec, tota eloquentiae res nobis cum auditoribus est, et pro eorum opinionibus nos nostrae orationi moderari debemus, et natura ita comparatum est, ut saepe qui pollentissimis rationibus non moventur, iidem aliquo levi argumento de sententia deiiciantur. Quare, ut orator omnium animos pertigisse certus sit, omnes argumentorum locos percurrisse necesse est. Quapropter non recte notant Ciceronem multa levia dixisse: nam et levibus illis in foro, in senatu, et potissimum in concione regnavit; et orator extitit imperii Romani maiestate dignissimus. Quid illud, quod in quibus caussis haerebit orator, qui unum verum curat, in iisdem sese expediet, qui

verisimilia praeterea consectatur? M. Brutus hac nostra, aut ferme nostra critica instructus (Stoicus enim erat), Milonem deprecativo statu defendendum putabat, eumque contendere absolvi oportere, cum ob eius maxima in rempublicam merita, tum quod pessimam de ea pestem, Clodium sustulisset. At Cicero, in topica versatus, intutum existimavit talem reum, eo rerum statu, iudicum clementiae committere, et coniectura eam caussam duxit: quam si egisset, Milo certe, ut ipsemet profitebatur, eo iudicio evasisset absolutus. Atqui Arnoldus, vir usquequaque doctissimus, eam contemnit, et nullius frugis existimat. Utri credendum, Arnoldone, qui negat, an Ciceroni, qui se a topica potissimum eloquentem factum affirmat et profitetur, aliorum esto iudicium: nos autem, ut ne quo alteri donemus, alteri rapiamus, dicimus, ut critica veraces, ita topica nos fieri copiosos; quod, quemadmodum olim Stoici in critica, Academici in topica arte toti fuere, ita hodie ratio disserendi Stoicorum arida et deducta apud recentiores, varia autem et multiplex Academicorum apud Aristotelicos in usu est: quodque, a Pico Mirandulano propositum, doctissimus quis recentior uno sorite perstringeret, Caietanus centum numero syllogismis oppugnat. Et perpetuo animadvertere licet antiquas philosophorum sectas, quo longius ab hac critica recesserunt, eo copiosiores fuisse. Stoici, quibus aeque ac nostris mentem veri regulam esse placuit, omnium maxime minuti et exiles; Epicurei, qui sensum esse voluerunt, puri et aliquanto amplius explicati; at Academici antiqui, Socratem secuti, qui nihil se scire, praeterquam nescire affirmabat, abundantes et ornatissimi; Academici vero novi, qui hoc ipsum nescire se nescire profitebantur, torrentium more exundabant et nivis ritu spissi. Et Stoici atque Epicurei unam duntaxat disputationis partem propugnabant. Plato in alterutram, quae verisimilior videretur, inclinare: Carneades autem utrumque complectebatur oppositum, et uno die iustitiam esse, altero non esse, aequis rerum momentis et incredibili disserendi vi, disputabat. Atque haec omnia inde orta, quia verum unum, verisimilia multa, falsa infinita.

Quare utraque disserendi ratio viciosa: topicorum, quia saepe falsa arripiunt; criticorum, quia verisimilia quoque non

assumunt. Igitur, ut utrumque vitetur vicium, existimem, adolescentes scientias artesque omnes integro iudicio doceri, quo topicae ditent locos, ac interea sensu communi ad prudentiam et eloquentiam invalescant, phantasia et memoria ad artes, quae iis praestant mentis facultatibus, confirmentur; deinde discere criticam; tum de integro de iis quae edocti sunt suo ipsorum iudicio iudicent; et in iisdem in utramque partem disserendis sese exerceant. Ita namque evaderent in scientiis veri, ad rerum prudentiam solertes, ad eloquentiam copiosi, ad poësim picturamve phantastici, ad iurisprudentiam memoriosi; et cautum praeterea esset, ne fierent temerarii, ut qui de rebus inter discendum disputant; neve prave religiosi, ut qui nihil, nisi a doctore dictatum, verum putant. Qua mihi in re antiqui nobis praestare videntur: Pythagorei namque universum silebant quinquennium; per quod tempus audita solo doctoris testimonio « ipse dixit » propugnabant, et generatim tyronum philosophiae proprium munus erat audire: unde proprio vocabulo dicebantur « auditores ». Atque hanc studiorum rationem Arnoldus ipse, quamquam verbis negat, re tamen ipsa mihi confirmat et profitetur: qui abditissimis cuiusvis generis disciplinarum exemplis suam logicam refert: quae nisi artes scientiaeque, unde depromuntur, antea perceptae sint, sine summa eloquentia et labore summo praeceptorum, intelligi ab auditore aliquo pacto vix possunt. Itaque si logica postrema discatur, praeter quae supra memoravimus, haec etiam vitantur incommoda: nempe et quod fert Arnoldus, qui, ut exempla utilia afferat, vix intelligitur; et quod ferunt Aristotelici, quorum exempla, ut intelligantur, inutilissima sunt.

IV

Methodus autem geometrica in physicam a nostris inducta videndum, ne illud incommodum secum importet, quod cum ex ea nihil negare possis, nisi caput ipsum aggrediaris, horum alterum fieri necesse sit: aut physicam huiusmodi dediscere, ut mentem ad universi contemplationem adiungas; aut, si eam

profiteri velis, nihil restare, nisi eamdem nova aliqua methodo disponas; aut aliquod novum phaenomenon explices, tamquam eiusdem physicae corollarium. Itaque recentiores physici eorum similes esse videntur, quibus aedes a parentibus relictae sunt, ubi nihil ad magnificentiam et usum desideretur, ut iis tantum amplam supellectilem mutare loco, aut aliquo tenui opere ad seculi morem exornare relinquatur. At inquiunt docti homines hanc eamdem physicam, qua ipsi methodo docent, ipsam esse naturam: et quoquo te ad universi contemplationem convertas, hanc physicam intueri. Quare gratias agendas authoribus putant, qui nos tanto negocio naturae ultra contemplandae liberarunt: et has aedes amplissimas instructissimasque reliquerunt. Quando ita se habere naturam necesse est, agant quam maximas: sed, si ea aliter sit comparata, si una de motu regula falsa sit, ut ne dicam non unam tantum iam falsi compertam esse, videant, etiam atque etiam videant, ne non tuto iam naturae securi agant: et dum aedium fastigia curant, fundamenta cum periculo negligant. Ah! ne fallamus, neque fallamur, auditores: istas methodos, sive soritas istos, ut in geometricis verissimae demonstrandi viae et rationes sunt, ita, ubi res demonstrationem non patitur, tamquam viciosum captiosumque argumentandi genus, priscae philosophorum sectae Stoicis, qui eo disserendi telo utebantur, obiectabant. Et Chrysippi logicam, ut insidiosissimam antiquos reformidasse etiamnum fama constat.

Quare ista physicae, quae vi methodi geometricae obtenduntur vera, nonnisi verisimilia sunt, et a geometria methodum quidem habent, non demonstrationem: geometrica demonstramus, quia facimus; si physica demonstrare possemus, faceremus. In uno enim Deo Opt. Max. sunt verae rerum formae, quibus earumdem est conformata natura. Demus igitur physicae operam, ut philosophi, nempe ut animum componamus: et in eo praestemus antiquis, quod illi haec studia excolebant, ut impie cum diis de felicitate contenderent; nos autem, ut humanos spiritus deprimamus: iis quidem vestigemus verum, cuius sumus tantopere studiosi; sed, ubi non invenimus, hoc ipsum veri desiderium nos ad Deum Opt. Max., qui unus via et veritas est, manuducat.

Deinde geometrica methodus physicas dissertationes iuxta ac geometricas apodixes, tamquam contentas doceri tantum, ornari vetat. Itaque recentiores physicos omnes genere disserendi contento ac severo uti animadvertas: cumque haec physica, et cum discitur et cum percepta est, perpetuo ex proximis proxima inferat, eam auditoribus facultatem occludit, quae philosophorum propria est, ut in rebus longe dissitis ac diversis similes videant rationes: quod omnis acutae ornataeque dicendi formae fons et caput existimatur. Neque enim tenue idem est atque acutum: tenue enim una linea, acutum duabus constat. In acutis autem dictis principem obtinet locum metaphora, quae est omnis ornatae orationis maxime insigne decus et luculentissimum ornamentum. Sed et alia de caussa ad id disserendi genus consuefacti, ii ad eloquentiam sunt minus idonei. Eloquentia enim imperitae multitudini est potissimum comparata: et rudes homines longas istas rationum cathenas, maxime ubi

...volat irrevocabile verbum,

difficillime tenent; et ut teneant, tanta animorum contentione fatigandi non sunt. Quapropter illa libera et ampla dicendi forma apud eos uti necesse est, qua orator modo probet, modo divertat, modo ad propositum redeat; et quod rudius dixit, expoliat; quod brevius, amplificet; quod levius, asseveret: et in eadem re aliis atque aliis orationis figuris immoretur, ut eam quam altissime animo impressam auditor afferat domum.

Denique physici suas methodos a primis veris ordiuntur. At quae in confesso apud omnes sunt, bonus orator praeterit; et secunda vera eloquendo, de primis auditores tacitus admonet: ut quas ipse argumentationes re vera conficit, eas auditores conficere sibi videantur. Atque ea ratione prius mentes movet, ut porro commoveat animos. Quod in caussa eius est, ut unam vel pulcherrimam formam non omnes probent; omnes autem uno oratore optimo delectentur. Haec methodi geometricae in physicas dissertationes inductae incommoda qua ratione vitentur, et supra, ubi de declinandis criticae incommodis verba fecimus, aliqua dicta sunt, et reliqua paullo inferius dicemus.

V

De analysi vero, ut fatendum, quod ad quae geometriae aenigmata doctissimi antiquorum Davi erant, eius methodi facilitate nostri Oedipi facti sunt; ita hoc ipso quod facilitas dissolvat, difficultas vero acuat ingenia, subsistendum in eo, an novissima mechanicae inventa ei quicquam sint accepta referenda. Nam nova invenire unius ingenii virtus est; ingenium vero geometria exercet. Ea enim, ut equorum agitatores acres equos aliquantisper refraenant, quo fugam celeriorem effundant, ita cohibet ingenia dum discitur, quo, dum ad usum revocetur, peracuat. Nam ingentem formarum vim iis obiicit, ut mira mentis celeritate tamquam scribendi elementa percurrant, eaque legant atque componant, quibus proposita dissolvat problemata. Analysis autem, ut

> ...Phoebi nondum patiens immanis in antro
> bacchatur vates, magnum si pectore possit
> excussisse deum;

ita suas rationes subducit, expectans, an forte sibi dentur, quas quaerit aequationes. Deinde Archimedem in Syracusarum obsidione miras belli machinas excogitasse memoriae proditum est. Heic respondent Archimedem eam nosse et invidia dissimulasse. Sed qui haec dicunt, nescio an id dicant, quo hoc suum literarum reipublicae emissum donum, quod re ipsa magnum est, verbis magis adornent. Nam certe a nostris inventa, quibus potissimum longe praestamus antiquis, aeneum ignitae pilae tormentum, navis unis instructa velis, horologium et pensilia hemisphaeria templorum ante omnem vulgatam analysim prodiere. Et de horologio quidem nemo est, qui tanta ex fide antiquorum susceperit patrocinium, quin eos a nostris longe ingenio victos esse fateatur. Illae autem vel sexdecim remorum ordinibus constructae antiquorum naves magnificentiam potius nauticae ostentabant; at nostrae unis instructae velis vim ipsam

tenent. Neque nihil diceret, qui novum terrarum orbem antiquis non tam nauticae urnae inopia, quam quod eorum naves Oceani impotentes essent, incognitum fuisse affirmaret. Idemque iudicium de ingenti illa Demetrii Poliorcetis halepoli aliisque bellicis antiquorum machinis, quod de eorumdem navibus fieri potest. Et Memphytica aliaque antiquitatis miracula magis eorum potentiae, quam artis opera, qua nobis quicquam praestarent, contendere audacter possis. At hemisphaeria templorum pensilia, antequam extruerentur, architectura ipsa extrui posse denegabat. Quot enim aerummas Philippus Brunelleschius, qui Florentiae omnium primus in templo divae Mariae Florum dictae audax incoepit perfecitque facinus, a sui temporis architectis pertulit, contendentibus nunquam fieri posse, ut super quatuor pendentibus punctis tantillum, nedum ingens aedificii moles in immensum pertinentis educeretur! Quid, si qui nova ac mira post analysim editam in mechanica excogitarunt, eam plane contempserint? et qui una analysi freti aliquod opus invenire conati sunt, id iis haudquaquam successerit? P. Perotus pro analyticis regulis navim omni commensu construxit, sperans eam omnium agilissimam fore; in mare deducta, in scopulum conversa est. An id eo fiat, quia, ut acroamata ad mathesim exacta non delectant, ita machinae ad analysim sint inutiles, nostrae disputationis non est. Sed illud ambigere per haec, quae diximus, licet, qui novissime mechanicam adauxerunt, ne non id ipsa geometriae vi, et sua ingeniorum felicitate magis, quam ulla analysis ope praestiterint. Quare ut ingenia ad mechanicam excolantur, cauto opus est, ne per species, quas dicunt, sed per formas in mathesi adolescentes instituantur: et quando analysis ars divinandi quaedam videtur, ad eam, tamquam ad machinam, confugiamus:

> Nec deus intersit, nisi dignus vindice nodus
> inciderit.

VI

In re autem medica illa subsunt incommoda; quod, cum morborum caussas non satis certo scire putemus, parum attendamus signa, facessamus ferme iudicia: quibus rebus, cum antiqui nostris praecellerent, eorum via et ratio medendi erat procul dubio certior. Cum enim fortasse iis caussae satis occultae incertaeque viderentur, de eo duntaxat erant usque ad religionem solliciti et curiosi, quod unum in se recipere, et longa observatione freti praestare poterant; ex signis non tam de morborum caussis, quam de gravitate et progressu ad certum curationis ductum iudicare. Qua in re corporis animique morbi aptissime sibi respondent et congruunt. Aulici non solum irae naturam, sed saepe etiam caussas, quibus princeps irascatur, ignorant; et tamen usu docti praesentiscunt quam mox in iram erumpat, ne adversentur, quo irae gradu, ne incendant magis; quando ira defervescat, ut deprecando ad clementiam reducant; quando restincta omnino sit, ut molles aditus tentent. Igitur, quando hodie illud in ore medicorum omnium celebratur: — Cunctemur, et quo aegra natura evadat opperiamur, — antiqui, rati corporis salutem, ut bona cetera, facilius conservari, quam corruptam restitui, ad illa sedulo attendebant, quid futuri morbi natura valens innueret, quo provideri et vitari posset. Quae erat illa Tiberii Caesaris medicina: ars, quam omnes, ut trigesimum aetatis annum attingerent, novisse oportere existimabat; eaque una sapientissimi Romani tot, quot omnes norunt, seculis usi sunt. Neque sane ulli natura cuiusquam sua insidiosa est, cum tanta fide et diligentia cuiusque tutelam gerat. Semper enim antequam in morbum corruat, aliquo futuram ruinam signo portendit; nos vero, qui ad eam in nobis attendendi artem negligimus, animum non advertimus, ut dicere audeam, cum nihil repente maximum fiat, vel repentina morte sublatum neminem.

Haec rei medicae incommoda ut vitentur, eorum caussas, iam levius indicatas, apertius demonstremus. Hodie ab uno aliquo explorato vero nostras de physicis argumentis dissertationes

deducimus: signa vero et iudicia verisimilia sunt, quae longa observatione colliguntur. Quare, ut Galenicos non recte morborum caussas syllogismo coniicere Verulamius notabat, ita ego recentiores non recte id ipsum sorite praestare dixerim. Nam ut qui syllogismo contendit, nihil novi affert, quia in propositione vel assumptione complexio continetur; ita qui sorite confirmat, nihil aliud facit, quam explicat verum secundum, quod in primo latebat involutum. Atqui morbi semper novi sunt et alii, ut semper alii sunt aegrotantes. Neque enim ego idem nunc sum, qui modo fui, dum aegrotantes proloquerer: innumera namque temporis momenta iam aetatis meae praeterierunt, et innumeri motus, quibus ad summum diem impellor, iam facti sunt. Atque indidem, cum in quoque, ut ita dicam, genere (nam verum genus species omnes complectitur) morbi sint infiniti, una forma omnes finiri non possunt. Cumque haec ita sint, uti syllogismo, cuius amplior pars genere constat, et hae res vero genere non continentur; ita et sorite nihil quicquam veri de iisdem rebus conficere possumus. Quare tutius consilium, ut particularia consectemur; et sorite non supra eius in hac re meritum utamur quidem, sed potissimum insistamus inductione; caussas cum recentioribus, quia explicatiores sunt, explicemus; magni tamen signa et iudicia faciamus; et Conservatricem antiquorum, sub qua Exercitatricem et Diaetariam comprehendo, aeque ac nostram Curatricem, excolamus.

## VII

Sed illud incommodum nostrae studiorum rationis maximum est, quod cum naturalibus doctrinis impensissime studeamus, moralem non tanti facimus, et eam potissimum partem, quae de humani animi ingenio eiusque passionibus ad vitam civilem et ad eloquentiam accommodate, de propriis virtutum ac viciorum notis, de bonis malisque artibus, de morum characteribus pro cuiusque aetate, sexu, condicione, fortuna, gente, republica, et de illa decori arte omnium difficillima disserit: atque adeo

amplissima praestantissimaque de republica doctrina nobis deserta ferme et inculta iacet. Quia unus hodie studiorum finis veritas, vestigamus naturam rerum, quia certa videtur: hominum naturam non vestigamus, quia est ab arbitrio incertissima. Sed haec ratio studiorum adolescentibus illa parit incommoda, ut porro nec satis vitam civilem prudenter agant, nec orationem moribus tingere et affectibus inflammare satis sciant. Et, quod ad prudentiam civilis vitae attinet, cum rerum humanarum dominae sint occasio et electio, quae incertissimae sunt, easque, ut plurimum, simulatio et dissimulatio, res fallacissimae ducant, qui unum verum curant, difficile media, difficilius fines earum assequuntur; et suis consiliis frustrati, alienis decepti, quam saepissime abeunt. Quando igitur vitae agenda ex rerum momentis et appendicibus, quae circumstantiae dicuntur, aestimantur: et earum multae fortasse alienae ac ineptae, nonnullae saepe perversae, et quandoque etiam adversae suo fini sunt; non ex ista recta mentis regula, quae rigida est, hominum facta aestimari possunt; sed illa Lesbiorum flexili, quae non ad se corpora dirigit, sed se ad corpora inflectit, spectari debent. Atque adeo hoc scientia a prudentia distat, quod scientia excellunt, qui unam caussam, per quam plurima naturae effecta perducunt; prudentia vero praestant, qui unius facti quam plurimas caussas vestigant, ut quae sit vera, coniiciant. Idque adeo fit, quia scientia ad summa, sapientia ad infima vera spectat: unde stulti, illiterati astuti, docti imprudentis et viri sapientis distinguuntur characteres et notae: nam in vita agenda stulti neque summa, neque infima vera attendunt; illiterati astuti infima animadvertunt, prima non vident; imprudentes docti ex summis infima, sapientes vero ex infimis summa dirigunt. At ex genere vera aeterna sunt, particularia autem quoque temporis momento in falsa mutantur; aeterna supra naturam extant; in natura enim nihil, nisi mobile, nisi mutabile continetur. Tum autem bonum cum vero congruit, et eamdem cum eo vim habet, easdem dotes. Proin stultus, qui nec ex genere, nec in specie vera norit, semper praesentem suae temeritatis fert poenam. Indocto autem astuto, qui vera peculiaria captat, nec ex genere verum tenet, quae astutiae

hodie prosunt, eae ipsae cras nocebunt. Docti vero imprudentes, qui ad peculiaria a vero ex genere recta pergunt, per anfractuosa vitae perrumpunt. At sapientes, qui per agendorum obliqua et incerta ad aeternum verum collimant, quia recta non possunt, circumducunt iter; et consilia expediunt in temporis longitudinem, quantum natura fieri potest, profutura.

Non recte igitur, per haec, quae diximus, ii faciunt, qui iudicandi rationem, qua utitur scientia, in prudentiae usum transferunt: nam ii res recta ratione aestimant, et homines, cum bona ex parte stulti sint, non consilio, sed libidine vel fortuna reguntur: ipsi de rebus iudicant, quales esse oportuerit, et res, ut plurimum, temere gestae sunt. Et cum sensum communem non excoluerint, nec verisimilia unquam secuti sint, uno vero contenti, quid porro de eo homines communiter sentiant, et an iis quoque vera videantur, nequicquam pendunt: quae res non solum privatis hominibus, sed principibus viris et summis regibus et summo vicio datum est, et quandoque maximo damno maloque fuit. Cum Henricus tertius rex Galliarum, Henricum Guisium ducem, popularissimum principem, sub publica commeatus fide, et in mediis Galliarum conventibus morti dari mandasset, quamquam facto iustae subessent caussae, quia tamen non videbantur, re Romam perlata, Ludovicus cardinalis Mandrutius, rerum publicarum prudentissimus, factum in ea verba notavit: « Principes non solum, ut res verae et iustae sint, sed ut tales quoque videantur curare oportere ». Quod sapiens dictum mala inde in Galliae regno orta quam verissimum esse comprobarunt. Recte igitur sapientissimi Romani in prudentiae rebus quid videretur spectabant; et cum iudices, tum senatores per verbum « videri » suas sententias concipiebant.

Ut haec igitur omnia complectamur, philosophi, qui propter eximiam rerum maximarum scientiam « politici » olim, universarum rerum publicarum nomine, vocabantur, postea ex parva urbis Athenarum particula, et loco ubi docebant, nomen habuerunt, ac Peripatetici et Academici dicti sunt, tum rationalem tum naturalem moralemque doctrinam ad civilem prudentiam apposite tradebant; hodie res nobis ad antiquos physicos reci-

derunt. Et quando olim triplex philosophia ab iisdem tradebatur ad eloquentiam accommodate, unde a Lyceo Demosthenes, ab Academia Cicero luculentissimarum maximi oratores linguarum prodiere; hodie ea ratione docetur, ut in ea fontes omnis verisimilis, copiosae, acutae, ornatae, explicatae, amplae, moratae inflammataeque orationis sint exiccati, et auditorum mentes conformant similes

... virginum nostrárum, quas matres student
demissis humeris esse, et vincto pectore, ut graciles sient:
si qua est habitior paulo, pugilem esse aiunt, deducunt cibum:
tametsi bona est natura, reddunt curatura iunceas.

Heic doctissimi homines ad illud de civili prudentia fortasse respondeant: me eos velle aulicos, non philosophos; vera negligere, et apparentia sequi; virtutem opprimere, et virtutis simulacra prae se ferre. Nullus equidem, sed eos vellem aulae quoque philosophos: verum curare, quod videatur: honestum sequi, quod omnes probent. At enim de eloquentia iidem ipsi suam studiorum rationem nedum nullum ei incommodum, sed maximam contendunt afferre utilitatem. — Quanto enim — inquiunt — praestat veris rerum argumentis eam menti vim facere, quae cum ratione coalescat, nec unquam ab ea resolvi possit; quam istis orationis illecebris et dicendi facibus animum flectere, quae ubi restinctae sunt, rursus ad ingenium redeat. — Sed quid facias, si non cum mente, sed cum animo tota eloquentiae res est: mens quidem tenuibus istis veri retibus capitur, sed animus non nisi his corpulentioribus machinis contorquetur et expugnatur. Eloquentia enim est officii persuadendi facultas: is autem persuadet, qui talem in auditore animum, qualem velit, inducat. Hunc animum sapientes sibi inducunt voluntate, quae mentis placidissima pedissequa est; quare eos sat est, doceas officium, ut faciant. At multitudo et vulgus appetitu rapitur et abripitur: appetitus autem est tumultuosus et turbulentus; cum enim sit animi labes, corporis contagione contracta, corporis naturam sequens, non movetur nisi per corpora. Itaque per corporeas imagines est alliciendus ut amet; nam ubi semel amat, facile docetur,

ut credat; et ubi credit et amat, est inflammandus, ut sua solita impotentia velit: quae tria nisi qui fecerit, haud persuasionis opus effecerit. Atque adeo animi perturbationes, quae interioris hominis mala ab appetitu omnia, tamquam ab uno fonte, proveniunt, duae solae res ad bonos usus traducunt: philosophia, quae eas sapientibus temperat, quo virtutes evadant; eloquentia, quae eas in vulgo incendit, ut faciant officia virtutis. — Sed eam hodie rerumpublicarum formam esse replicabunt, ut eloquentia in liberis populis non ultra regnet. — Principibus quidem grates, qui nos legibus, non lingua regunt: sed in his ipsis rebuspublicis oratores amplo, verso, inflammato dicendi genere eximii, cum in foro, tum in senatu, et in sacris concionibus, cum summa reipublicae utilitate et maxima linguae gloria, claruerunt.

Sed dicamus quid fortasse rei sit. Galli substantiae vocabulis abundant; substantia autem a se bruta et immobilis, nec comparationis est patiens. Quare nec sententias inflammare, quod sine motu, et quidem vehementi, non fit; nec amplificare et exaggerare quicquam possunt. Indidem verba invertere nequeunt: quia, cum substantia summum sit genus rerum, nihil medium substernit, in quo similitudinum extrema conveniant et uniantur. Quamobrem metaphorae in eius generis nominibus uno vocabulo fieri non possunt; et quae duobus fiunt, ut plurimum, durae sunt. Ad haec, orationis ambitum conati, nihil ultra membra praestiterunt; nec ampliores versus, quam, quos dicunt Alexandrinos, fundunt: qui et ipsi, praeterquam quod distrophi sunt (cum praeterea singuli sententias claudant, et bini similiter desinant; quarum rerum altera omnem minuit amplitudinem, altera allevat gravitatem), sunt inertiores tenuioresque elegiacis. Duas duntaxat voculationum sedes, ultimam et penultimam habent: et ubi nos ab ultima tertiam acuimus, ii accentum in penultimam transferunt; quod nescio quid tenue et subtile sonat: quibus rebus ii nec amplis periodis, nec grandibus numeris apti sunt. Sed, ut eadem lingua omnis sublimis ornatique dicendi characteris impos, sic tenuis patientissima est. Cum enim substantiae vocabulis scateat, atque iis ipsis, quae substantias,

ut Scholae dicunt, « abstractas » significant, rerum semper summa perstringit. Quare didascalico dicendi generi aptissima est, quia artes scientiaeque summa rerum genera persequuntur. Atque hinc factum, quod ubi nos nostros oratores laudamus, quod diserte, explicate, eloquenter dicant, ii laudant suos, quod vera cogitarint. Et cum hanc mentis virtutem distracta celeriter, apte et feliciter uniendi, quae nobis « ingenium » dicitur, appellare volunt, « spiritum » dicunt, et mentis vim, quae compositione existit, re simplicissima notant, quod subtilissimae eorum mentes non compositione, sed tenuitate cogitationum excellant. Quare, si eius disputationis, summis dignae philosophis, illa pars vera est: linguis ingenia, non linguas ingeniis formari, hanc novam criticam, quae tota spiritalis videtur, et analysim, quae matheseos subiectum, quantum ex se est, omni prorsus corpulentia exuit, uni in orbe terrarum Galli vi suae subtilissimae linguae excogitare potuerunt. Cum haec igitur omnia ita sint, eloquentiam suae linguae parem ab una sententiarum veritate tenuitateque, et deducta ordinis virtute, commendant.

Nos vero lingua praediti, quae imagines semper excitat; unde uni Itali pictura, sculptura, architectura, musica omnibus orbis terrarum nationibus praestiterunt, quae, actuosa semper, auditorum mentes in res longe dissitas et remotas vi similitudinum transfert; unde Itali post Hispanos acutissimi nationum; quae in genere dicendi ornato et amplo, nempe Herodoteo, Liviano, Ciceronianoque, Guicciardinios; in grandi ac vehementi, sive Thucydideo, Demosthenico ac Sallustiano, alios; in Attica elegantia Buccacios; in novo lyricorum genere Petrarchas; qui fabularum granditate et locutionis facilitate Homerum referunt, Ariostos; qui maiestate sententiarum et divinis numeris Virgilium exprimunt, Torquatos numerat et recenset; linguam, quibus partibus potissimum beatissima est, non excolemus? Igitur qui neque in physicum, neque in mechanicum eruditur, sed ad rempublicam, vel foro, vel senatui, vel sacris concionibus instituitur, in hisce studiis, qua methodo traduntur, nec puer, nec diu immoretur; geometriam per formas ad ingeniosam rationem addiscat; topicam excolat, et

de natura, de homine, de republica libero ac nitidiori disserendi genere in utramque disputet partem; ut quod probabilius verisimiliusque in rebus sit, amplectatur; ut ne in summa nostri sint scientiores antiquis, et nobis sapientiores antiqui: nostri veriores antiquis, et nobis eloquentiores antiqui: sed ita sapientia et eloquentia aequemus, ut scientia superamus antiquos.

## VIII

De re autem poëtica nihil singillatim disserui, quia poëticus instinctus Dei Opt. Max. donum est, nec ullis instrumentis parari potest. Quia tamen, qui ea facultate divinitus afflati sunt, si eam ipsam literarum studiis exornare velint, ut omnium studiorum florem quemdam excolant necesse est; de eadem extra ordinem quidem, non tamen sine omni ordine, quae nostri argumenti sunt, disseramus.

Criticam nostri temporis poëticae obesse diximus, sub eo temperamento: si pueris tradatur: nam iis et phantasiam obcoecat, et memoriam obruit; et poëtae optimi phantastici sunt, et peculiare eorum numen Memoria, eiusque soboles Musae. Sed si adolescentes, utraque mentis facultate firmati, eam artem edoceantur, eam poëticae rei conferre putem: quia poëtae ad verum in idea, sive ex genere, ut paullo inferius dicemus, spectant. Et methodus geometrica quam plurimum ad confingenda mendacia poëtica conducit: nempe ut tales per omnem fabulae tractum perpetuo gerantur personae, quales semel principio inductae sunt: quam artem Homerus omnium princeps, ut tradit Aristoteles, docuit; et, ut idem philosophus animadvertit, sunt quidam a consequente paralogismi; ut: Daedalus volat, si alatus est. Quare ea recte confingere nequeunt, nisi qui satis recte norint alia aliis attexere, ut a primis secunda, a secundis porro tertia consequi natura videantur. Quamobrem acute, neque citra verum quis dixerit: eiusmodi mendacia eos invenire tantum posse, qui vera philosophiae optime sciunt. Id

egregie praestant geometrae, qui ex falsis praemissis et datis, suae vi methodi, a consequenti vera conficiunt.

Et finem quoque, qui hodie maxime celebratur, nempe verum in idea, sive ex genere, in re poëtica adprime utilem arbitror. Neque enim in ea sum sententia, poëtas falsis praecipue delectari; quin affirmare audeam eos aeque ac philosophos ex instituto vera sequi. Nam poëta delectando docet, quae severe philosophus: uterque docet officia, uterque mores hominum describit, uterque ad virtutes excitat et a viciis abducit: sed philosophus, quia cum eruditis rem habet, id disserit ex genere; poëta vero, quia cum vulgo agit, sublimibus personarum, quas fingit, factis dictisque tamquam exemplis quodammodo excogitatis persuadet. Quamobrem poëtae recedunt a formis veri quotidianis, ut excellentiorem quamdam veri speciem affingant; et naturam incertam deserunt, ut naturam constantem sequantur; atque adeo falsa sequuntur, ut sint quodammodo veriores. Rigor hic humanarum actionum, ut quis in omnibus et per omnia sibi constet, optime a Stoicis, quibus recentiores respondere videntur, docebatur. Unde ii merito suae Stoicae sectae principem asserebant Homerum, qui Aristoteli princeps poëticorum mendaciorum est artifex. Quapropter per quas ipsas caussas nostrorum studiorum finem prudentiae civili obesse docui, eum poëticae conducere iudicarim. Nam prudentia in humanis actionibus vestigat verum uti est, etiam ab imprudentia, ignorantia, libidine, necessitate, fortuna: poësis tantum ad id verum spectat, uti natura et consilio esse debet.

Et recentiorem physicam rei poëticae commodam esse existimarem: nam poëtae phrases bona ex parte usurpant, quibus naturales rerum caussas explicant, sive in dictionis poëticae admirationem, sive in antiquae possessionis argumentum: quod antiquissimi poëtarum physici fuerint. Unde illa: « sanguine cretus » pro « genito », « abire in auras » pro « mori », « ignis circa praecordia fervens » pro « febri », « concretus in aëre vapor » pro « nube », « excussus nubibus ignis » pro « fulmine », « terrae umbrae » pro « nocte »: omnes temporis partes astronomorum definitionibus descriptae; et metonymia caussae pro effectu apud eosdem

tantopere celebrata. Igitur, quando recentior physica sensibiliores caussarum imagines a mechanica potissimum, qua utitur, tamquam instrumento, describit, ea commodius poëtas novarum genere locutionum instrueret.

## IX

Credo equidem vos haudquaquam miratos esse, quod instrumenta scientiarum omnia persecutus, nulla de Christiana theologia verba fecerim: neque enim existimavi vos expectaturos, ut ego deterrimo comparationis genere vera cum falsis, divina cum humanis, Christum cum Lycurgo vel Numa compararem. Sed, ut breviter, quantum ab Ethnicis in hac studiorum parte peccatum sit, accipiatis, illud animadvertere licet, apud eos multas, varias incertissimasque fuisse de deorum natura opiniones; et qui rebuspublicis praeerant, philosophos de rebus divinis opposita disserere aequo animo patiebantur; et tantum impietatis animadvertebant in eos, qui deos esse negarent; fortasse rati, cetera philosophorum placita vulgi captum, in quod potissimum religio erat inculcanda, superare. Et poëtas quoque de deorum natura, eorumque potestate in fabularum admirationem nova comminisci sinebant: nam id ipsum ad religionem pertinere arbitrabantur, quo maior de suorum numinum potentia in vulgi animos opinio induceretur. In sacrificiis vero, auguriis auspiciisque, quia iis rebus maxime publicum religionis usum posuerunt, quo augustiora et venerabiliora essent, caeremonias deorum quam maxime certas sollennesque esse voluerunt. Quare solas caeremonias pollutas, et spretas auspiciorum religiones, et novas divinandi artes vindicarunt ac ulti sunt. Neque Christianos, quod suos deos non crederent, sed quod non adorarent, persequebantur. Sed quid stultius, quid ineptius, quam iubere per caeremonias certas incerta adorare numina? At Christiana religio dogmata de Dei Opt. Max. natura divinisque mysteriis quam certissima docet: unde ritus et caeremoniae sunt merito certae. Quare nova scientia apud nos divinitus nata est, quae divinos eius veri

fontes aperit, sacros libros et traditionem, et « theologia dogmatica » nuncupatur. Itaque, ubi olim Lex XII Tabularum a caeremoniarum capite incipiebat: « DEOS CASTE ADEUNTO », *Iustinianeus Codex* a titulo *De summa Trinitate et fide catholica* inauspicatur. Eius autem doctrinae optima methodo, quasi rivulus effluit alia theologia, quae « moralis » dicitur, et de finibus bonorum, de virtutibus officiisque ad Christianam religionem accommodate praecepta consignat. Quae de Deo scientia, quae caeremoniarum castitas, quae morum doctrina tanta veritate, tanta dignitate, tanta virtute praestant, quod Christiana religio, non ut aliae vi et armis, quibus gentes delerent, sed virtutibus et cruciatuum constantia in duas saeculi sapientissimas gentes, Graecos Romanosque, et in potentissimum orbis terrarum imperium sese insinuavit; atque eae cum suo imperio, cum sua doctrina in Christianum nomen sponte sua concesserunt; nec tamen eorum religionis ac philosophiae monumenta deleta sunt, divino certe consilio, ut in omne aevum utraque ad exemplum collata, illa humana, nostra prorsus divina videretur.

## X

Hactenus de scientiarum instrumentis; nunc de nostrae studiorum rationis adiumentis disseramus. Et quod de multis rerum argumentis, quae a prudentia sunt, artes redactas habeamus, vereor ne damno potius nostrae studiorum rationis, quam lucro apponi necesse sit. Nam de iis rebus, quibus prudentia moderatur, artes, si multae, nullae; sin modicae, multae sunt. Qui enim omnia prudentiae in artem redigere conantur, principio inanem insumunt operam: quia prudentia ex rerum circumstantiis, quae infinitae sunt, sua capit consilia; quare omnis earum comprehensio, quam amplissima, nunquam est satis. Deinde consuefaciunt auditores, ut communibus praeceptis adhaerescant: quo nihil in actu rerum inutilius experimur. Quamobrem ut usui sint artes, quae prudentia constant, uti oratoria, poëtica, historica, deorum compitalium instar sint; et tantum demonstrent

quo et qua sit eundum: nempe per philosophiam ad ipsius optimae contemplationem naturae. Cum enim una excolebatur philosophia, sive adeo una optima spectabatur natura, maximi in quoque istarum artium genere scriptores apud Graecos, Latinos et nostros floruerunt: artibus autem apud quosque eorum excultis, non perinde clari extiterunt. Exequamini, quaeso, de singulis rationem; et me nihil falsi dixisse invenietis. Quapropter qui artes ac disciplinas, quae nedum omnes, sed cunctae in philosophiae gremio continebantur, et ab ea, et inter se ipsas diviserunt, mihi tyrannorum similes fuisse videntur, qui amplissima opulentissimaque ac frequentissima hostium urbe potiti, quo tuti porro ab ea sint, urbem delent, et cives per pagos longe dissitos dissipant: ut ne ultra suae urbis magnificentia et opibus suorumque numero freti spiritus, animosque efferre, neve conspirare, et alii aliis auxilio esse possint.

## XI

Id ipsum speciatim nostra iurisprudentia confirmemus, quae, quia Graecis ignota et priscis Romanis prorsus alia fuit, quaedam praecipua, quae hac in re insunt, et nostri argumenti sunt, dicere necesse est.

Quatuor priores tituli primi *Pandectarum* libri, quibus, quae dicunt Graeci *Priora*, absolvuntur, sive doctrina de iurisprudentiae natura, eiusque fine, iustitia, argumento nempe iure, seu iusto, de legum caussis virtutibusque, et de earum interpretandarum ratione, quantula eius ingentis operis pars est? et tamen omnem iurisprudentiae artem expediunt. Quamquam quid hoc verbi est « ars prudentiae », cuius una ars est philosophia? Nam si cum auctore *Methodi iuris civilis* satis docto eleganter loqui velimus, *Priora* philosophiam iuris continent, reliquum totum corpus historiam; ego vero praeterea et ingentem generis iudicialis topicam continere affirmarim. Nam quid est, quod sane mirum, immensam librorum de iure molem cum nobis esse, tum post Edictum perpetuum Romanis fuisse, de quo Romanis

antea admodum pauci, Graecis omnino nulli? Quia apud Graecos philosophi iuris philosophiam, nempe doctrinam de republica, de iustitia legibusque tradebant; qui « pragmatici » dicebantur, leges oratoribus ministrabant; oratores autem in caussis ex facto ipso aequi argumenta inveniebant. Quare, cum apud Graecos iurisprudentia et philosophorum scientia, et pragmaticorum de legibus historia et oratorum facultate contineretur, apud eosdem de philosophia innumeri, orationum quam plurimi, nulli autem de iure libri erant. Philosophi autem Romanorum ipsi erant iurisconsulti, ut qui in una legum peritia omnem sapientiam posuerunt, sive sapientiam heroicorum temporum meram conservarunt: etenim

> haec fuit sapientia quondam,
> publica privatis secernere, sacra profanis,
> concubitu prohibere vago, dare iura maritis,
> oppida moliri, et leges incidere ligno.

Quare eadem definitione Romani iurisprudentiam, qua Graeci sapientiam, « divinarum humanarumque rerum notitiam » definiebant. Cum autem ea sapientia iustitia et civili prudentia tota ferme constet, doctrinam de republica et de iustitia multo rectius, quam Graeci, non disserendo, sed ipso usu reipublicae perdiscebant. Itaque, « veram, non simulatam philosophiam » sectantes (nam de his temporibus verba iurisconsulti verius dici possunt), in iis virtutibus prius publica persancte obeundo munia, magistratus nempe et imperia se firmabant; senes tandem aetate earumdem virtutum compote ad iurisprudentiam animum, tamquam ad honestissimum vitae portum, appellabant.

Sed et ipsa iurisprudentia patricii, tamquam « arcano potentiae », utebantur. Cum enim tres essent Romanorum civium ordines, plebs, eques, senatus, nec patricii ullum in ea ordinem facerent, nulla certa eorum ratio habebatur, nisi arte aliqua ullum sibi in republica potentiae gradum adstruerent. Igitur cum ius triplex, sacrum, publicum privatumque, et in sacro ius augurium, in publico feciale, in privato autem actionum formulae continerentur, ut patricii comitia, quae

auspicato haberi necesse erat, ut bella, paces, foedera, et ut iudicia in partem aliquam sua haberent in manu, eo consilio usi sunt: quod nemo iurisconsultus habebatur, quin haec tria nosset iura; unde iurisprudentiam « divinarum humanarumque rerum notitiam » definierunt. Ea autem tria iura non norant, nisi qui ex pontificum augurumve collegiis essent: cumque in ea nisi nobilissimi viri cooptarentur, uni patricii iurisprudentiam, veluti mysteria quaedam custodiebant. Neque post Tiberium Coruncanium, qui, omnium primus, ius Romae professus est, ea nisi nobilissimorum filiis virorum, tamquam sacra, tradebatur. Et quo hoc suum potentiae arcanum legum sanctitate sanctius facerent, verba legum sanctissime custodiebant; quo autem magis veneranda specie prae se ferrent, actionum formulas quam maxime certas solennesque esse accurabant; et quo denique plebem magis celatam haberent, per notas scribebant, non perscribebant. Et sapientissimi Romanorum id iis arcanum aequo animo dissimulabant: qui e republica censebant, ut nobiles, qui in republica ad bellicam virtutem sunt necessarii, iustitiae studiis magis, quam iniuriis et insolentia possent; et una opera populus iuris religiosissimus esset.

Nam illa respublica beatissima, in qua legum, tamquam ignoti numinis, religio cives teneat. Ita namque disciplina urbana non minori aequabilitate et constantia custoditur, quam militaris: per quam nefas militi caussam imperii requirere, et unae eius partes id alacrem expectare, impigrum exequi. Hinc ius in republica libera rigidissimum erat: praetor merus « iuris civilis custos »; omnes contractus stipulationibus firmabantur; numerationes omnes sive ad obligandum, sive ad solvendum, apud mensas argentarias nominibus fiebant; ubi actiones deerant, sponsionibus in iudicio certabatur; si qui ex bona fide boni cum bonis bene agere et aequum facere vellent, non iudiciis, sed arbitriis disceptabant, in quibus non iuris regnabat necessitas, sed officii pudor obsequebatur; et si quos ob meritum lege eximi, vel ob crimen nova poena puniri oportebat, Lex XII Tabularum, quam hoc merito Tacitus, ut coniicio, « finem aequi iuris » laudat, nihil crescebat decrescebatve, sed singulares

leges, seu privilegia in eos irrogabantur: nisi res tam calida et subita nimis foret, ut extra ordinem de ea decerni necesse esset. Ita leges ubique rigebant; adeo ut, si nedum privatorum utilitas, sed ipsa respublica aliquid contra leges recipi suaderet, id iurisconsulti fictionibus et commentis quibusdam iuris expediebant, ne ius quicquam demutaretur. Ex quo genere sunt postliminii legisque Corneliae aliaeque fictiones, et imaginariae in emancipationibus testamentisque venditiones. Ad quae si quis animum recte advertat, iuris fictiones nihil aliud, nisi priscae iurisprudentiae productiones et exceptiones legum fuisse comperiat: quibus prisci iurisconsulti, non, ut nostri, leges ad facta, sed ad leges facta accommodabant. Atque in eo omnis priscae iurisprudentiae laus posita erat, nempe aliquod eiusmodi consilium comminisci, quo et leges integrae essent, et publicae utilitati consuleretur.

Cum igitur per ea, quae memoravimus, soli patricii iurisprudentiam, oratoriam autem novi quoque homines et obscuro loco nati profiterentur, iidem iurisconsulti et iuris philosophiam docti erant et legum tenebant historiam; et, nisi ipsimet caussas legitimas susciperent defendendas, consulentibus de iure reddebant, quae porro deferrent ad oratores, oracula; ubi vero ipsi quoque ad caussas legitimas agendas in forum oratores descenderent, quia verba ad ius, voluntas ad aequum spectat, in caussis legitimis, quae ex scripto et voluntate constarent, utrique pro suo instituto, iurisconsulti ius, summi oratores aequum defendebant: nam, quia iuris summa sanctitas erat, aequum in iudiciis, nisi summa eloquentia obtineri non poterat. Atque his de caussis in republica libera triplicis iuris una prudentia: quae definiebatur « divinarum humanarumque rerum notitia; iusti et iniusti scientia »; ut « humanis rebus » publicae et privatae continerentur, et appellatione « iusti », quicquid legibus diserte cautum esset, acciperetur. Iurisprudentia et oratoria ex reipublicae instituto divisae; et iurisconsulti, si oratoriam quoque profiterentur, ipsi verba legum; oratores modo verba, modo mentem; sed verba etiam mediocres, mentem nonnisi eloquentissimi defendebant; et pauci admodum de iure libri; nec quis

unus, nisi furtim, in publicum editus. At, commutata in principatum republica, Romani principes, uti principio ius comitiorum a populo ad senatum transtulerant, ita mox omnes de bello, pace, foederibus aliasque de republica deliberationes, et militiae potentiaeque arcana intra sacra domus coërcuerunt. Eam enim « esse imperandi conditionem » Liviae Crispus dicebat, « ut non aliter ratio constet, quam si uni reddatur »: quae iurisconsulti illa lex regia est, quam non populi Romani voluntas iussit, sed ab eo reipublicae necessitas expressit; ut « cuncta, discordiis civilibus fessa, Augustus, nomine 'principis', sub imperium acciperet », manu vero regia gubernaret. Sed, ut iidem Romani principes nobilibus aliquo pacto et senatui satisfacerent, et memores optimatium factionem firmando principatui fuisse adversatam, haec iis potentiae simulacra obiecerunt. Senatui quidem concesserunt, ut de privatis rebus, ad principum tamen orationes, conderent iura. At eae orationes in speciem consulum relationes videbantur; re quidem ipsa, sententiae principum erant cum praerogativa suffragii; ut ne quid senatus de iure privato, nisi quod princeps vellet, et in quam sententiam vellet, consuleret. Quamobrem, dum firmaretur principatus, ipsi, constabilitis autem rebus, per quaestores candidatos recitarunt. Nobilibus vero non promiscue quibusvis, sed tantum obsequii explorati ius dederunt publice respondendi, multo in speciem maiori, quam antea authoritate; sed ita tamen, ut in ea duntaxat caussa, de qua consulerentur, ius facerent. Et, ut id ipsum quoque potentiae simulacrum iis attenuarent, ipsi autem vera potentia, nempe plebis studiis et favore multitudinis firmarentur, praetoribus permiserunt, ut, ubi leges asperiores cum privatis essent, aequitate lenirent; ubi deessent, per benignitatem supplerent: non tamen ita, ut leges ipsas immutarent, sed sub quadam religionis specie eas, sua virtute sive effectu, per aliquam fictionem, ad liberae iurisprudentiae exemplum, ut in bonorum possessionibus et actionibus rescissoriis factum videmus, frustrarentur. Atque ita praetores et iuris civilis custodes et aequitatis naturalis ministri facti sunt: nam in caussis, in quas diserta legum verba dirigebantur, directas; iis vero, in quibus legum verba vel dubia essent

vel deessent, utiles accommodabant actiones. Eoque pacto sub principatu, ante tamen Edictum perpetuum, iam non omnino eadem iurisprudentia: nam « humanarum rerum » acceptione solae res privatae continebantur; quia ius publicum a privato secretum est, unde philosophia iuris infirmari coepit. Adhuc tamen erat scientia iusti, sed quae aequitate praetoria sensim elidebatur: et adhuc pauci de iure libri, quia adhuc iurisprudentes ex instituto iuris rigorem profitebantur, et ad solos oratores aequum defendendum deferebatur. Sed, postquam sub Hadriano Edictum perpetuum omnis aequitatis plenissimum prodiit, et publice cautum, ut quemadmodum prius a XII Tabularum, ita deinde ab Edicto perpetuo in iurisprudentia instituerentur, lex XII Tabularum non ultra fuit norma Romani iuris: senatui, praetoribus ac iurisconsultis condendi iuris potestas attenuata. Nam non ultra senatusconsulta accommodata ad legem XII Tabularum celebrari; nec praetores ultra ad eamdem apposite edicta perpetuae iurisdictionis caussa proponere: Romani principes suis rescriptis, naturalem sequuti aequitatem, nova iura constituere et iuris dubia decidere. Unde chronologia constitutionum principalium ab eodem Hadriano sumit initium. Atque his de caussis iurisprudentia, ex scientia iusti, ars aequi facta est: et iurisconsulti ex instituto aequi momenta in caussis invenire, et de iure privato innumeros libros scribere. Sed quia formulae adhuc vigebant, adhuc oratores ad aequum defendendum in foro versabantur: sed ita, ut quantum aequitas naturalis invalescebat, tantum forensis eloquentia silesceret. Sed postquam Constantinus, formulis actionum sublatis, omnia iudicia extraordinaria esse iussit, iurisprudentiae arcanum omnibus vulgatum est: et haec quoque potentiae persona patriciis detracta, et ignobiles quoque iurisprudentiam vulgo profiteri; publicaeque de iurisprudentia academiae Romae, Constantinopoli ac Beryti fundatae: ac Theodosius et Valentinianus e republica constituerunt, ut ne quis vel publicus antecessor iura privatim profiteretur; et ius civile non ultra religione aliqua, nec ullis commentis, sed aperte, ubi aequitas aliud suaderet, non tantum a principibus, sed a iudicibus quoque perruptum est; et aequitas in omnibus et per omnia in iudiciis

regnare; et praetor viva iuris civilis vox, omnis privati iuris, uti hodie quivis noster iudex, absolutissimus arbiter. Quare quando olim multa iudicia, pauca arbitria, quia multi iniusti, pauci homines aequi; hodie omnia sunt arbitria: in quibus tamen aequitatis officium abiit in iuris necessitatem. Ad haec cum idem Constantinus in Christianam religionem venisset, in qua divinarum rerum scientia penes Ecclesiae patres est, iurisprudentia privatarum duntaxat rerum notitia evasit, nec ulterius scientia iusti; ut hodie verba legum tenere iurisprudentis non sit. Et quia aequitas naturalis in iudiciis potentissima facta est, eloquentia forensis prorsus obmutuit; ac iurisprudentia sua librorum mole coepit laborare. Itaque eleganter dicere possis et vere, iurisconsultos nostros in caussis veris oratorum, in fictis declamatorum invasisse possessiones: uti Iacobus Cuiacius de se diserte profitetur: quod, si quando ei caussae deessent verae, in quaestionibus scholasticis declamatorum exercebatur. Quam caussam inter alias corruptae eloquentiae, gravissimus quisquis eius libelli sit author, non numerat: fortasse, quia hoc malum sub ea tempora oriri incipiebat, et mala sub ipsis nascendi initiis difficillime sentiuntur, et vel prudentissimos fallunt.

Sed, ut ad rem, eo quo narravimus pacto res iurisprudentiae Romanae commutatae. Iurisprudentia, prius rigida, arcanum erat potentiae patriciorum adversus plebem; deinde benigna, arcanum fuit Romanorum principum adversus patricios. Quare reipublicae liberae interfuit eam non vulgari; postea interfuit principum non esse celatam. Prius publici iuris omnes gnari, privatum arcanum erat; deinde publicum arcanum, privatum omnibus palam factum. Olim docebantur prius iuris publici prudentiam, deinde transibant ad respondendum de privato: hodie in privata iurisprudentia spectati ad consulendum de republica transeunt. Triplicis iuris una olim prudentia; nunc triplex, sacra, publica et privata. Et haec ipsa privata olim ad genera, hodie ad species magis spectat. Quare leges olim de iis quae ut plurimum accidunt: nunc de minutissimis factis conceptae sunt. Ac proinde olim paucae leges, innumera privilegia; hodie leges ita minutae, ut innumera privilegia esse videantur. Igitur merito prius erat

scientia iusti: hodie est ars aequi; hoc est prius universalis et rigida: hodie particularis et flexilis; nam scientiae severae, nec quicquam declinant, artes autem commodae et morigerae sunt. Indidem prius facta aequa iniusta erant, nisi ad ius fictionibus traherentur: hodie iura iniusta sunt, nisi benigna interpretatione ad facta accommodentur. Itaque olim tota iurisprudentiae laus erat, ut commentis quibusdam facta aequa evaderent legibus quoque iusta: hodie, ut leges iustae benignis interpretationibus sint, etiam factis aequae. Unde iurisprudentes olim ex instituto tuebantur verba: hodie ex instituto defendunt mentem; et in quaestionibus legitimis iurisconsulti olim verba, oratores mentem legum patrocinabantur: hodie iurisconsulti oratorum funguntur munere. Et quia leges certae, facta infinita, et ius ad leges, facta ad aequum spectant; olim pauci, hodie innumeri de iure libri. Et in summa, mutato iurisprudentiae arcano cum mutata republica, mutatae leges, mutata iurisprudentia, iurisconsulti alii, alii oratores, alii magistratus, alia iudicia; et nos nova arte et novo librorum genere supra Graecos et priscos Romanos aucti sumus.

Atque ex hac arcana iurisprudentiae Romanorum historia, quam Arnoldum Clapmarium, in libro *De arcanis rerumpublicarum*, diligentissimum alioqui eiusmodi rerum in Romana republica observatorem, effugisse miror; et ex iis, quae de antiquorum iurisprudentia memoravimus, haec nostrae iurisprudentiae addiscendae rationem commoda incommodaque sequuntur. Commodum quidem est, quod iurisprudentia, quae apud Graecos in philosophorum scientiam, pragmaticorum de legibus historiam et oratorum facultatem dividebatur, et Romanis, ante Edictum perpetuum, inter iurisconsultos et oratores partita erat, hodie in unam doctrinam coaluerit. Quare nostra studiorum ratio Graecae et priscae Romanae praestat: tum quod plus vident, quae iura pro caussa, et ad caussam faciant, qui in iuris topica sunt exerciti, quam qui, ut pragmatici Graeci, solam legum historiam tenent; tum quod acrius factorum circumstantias utiles ad vincendum advertunt qui iurisprudentiae gnari sunt, ac proinde rectius caussas constituunt, quam qui sunt meri oratores.

Sed hoc commodum illud incommodi habet admixtum: quod, ut hodie iurisprudentia ab eloquentia integrior est, ita a philosophia infirmior. Nam ut iurisconsulti hodie leges tragica oratione non vincunt, ut saepe oratores vincebant, ita scientiam rerumpublicarum legibus ordinandarum conservandarumque, quae doctrina, ut mater omnis iurisprudentiae est, ita prior tradi deberet, non docent, uti docebant philosophi, et ipso usu reipublicae perdiscebant Romani.

Deinde commodo dandum non multa hodie eloquentia opus esse, ut in iuris quaestionibus aequum obtineatur: nam sat est simplici via in caussis argumenta aequi ex facto invenisse, ut leges non pro verbis, sed ex mente ad facta accommodentur. Quare ubi olim M. Crassum oratorem summum adire opus fuit, qui patrocinium aequitatis et defensionem voluntatis mortuorum in caussa M. Curii adversus Mucium Scaevolam, qui ius propugnabat, susciperet; hodie quivis rusticus, momentis aequi indiserte et incondite demonstratis, obtineret.

Sed minor sanctitas legum: nam qui quid lege excipere studet, et legem vicii notat, et legislatorem imprudentiae coarguit, et legum tandem authoritatem affligit: nam saepe leges viciis seu exceptionibus labefactatae, vix tandem inveniunt ubi vindicentur. Quare sapientissimo consilio Agesilaus Spartanam iuventutem, reipublicae florem et robur, in summa militum egestate, ne lege quidem alia lata, servare voluit, ut ne lex, quae eos damnabat, quicquam relaxaretur: sed eam ex die postero eius, quo ea caussa agebatur, valere iussit. Cui Spartani regis commento priscae Romanorum iurisprudentiae fictiones perquam apte respondent.

Et commodis rescribendum nostros iurisconsultos magis aequitati studere, quam stricto iuri, quo benignius agatur cum privatis. At prisci Romani erant iuris rigidiores cum maiori utilitate reipublicae. Nam iuris rigorem in uno experiri, id est caeteris legum reverentiam incutere. Itaque M. Attilius Regulus, quamquam in caussa de permutandis captivis is unus pro omnibus maximum esset aequitatis momentum, ne tamen iuri quicquam derogaretur, illa, quae omnes norunt, et fidei in hostes, et pietatis in patriam,

et constantiae rara ac praeclara dedit per summam, nec unquam interituram sapientiae gloriam, exempla.

Commode quoque a iure privato hodie ad publicum tractandum transeunt; ut spectentur in re, ubi si quid peccent, minimum laedatur respublica. At enim apud priscos Romanos, quia legum omnium regina salus publica est; et mater omnis aequi boni utilitas communis agnoscitur, ius publicum magistratibus et imperiis edocebantur prius, deinde iurisprudentiam privatam profitebantur.

Tandem commodo verti debet iurisconsulti et oratoris munia apud nostros etiam in caussis, quae facto constant, unita, quae Romanis priscis divisa erant. Quare et in caussis facti graviores, et in illis iuris possumus esse copiosiores. Sed huic commodo illud incommodum referatur: quod triplicis iuris una olim prudentia, in tres nunc distracta, et sacrum privatumque, quae olim iura ex publico defluebant, et a iure publico et inter se scissa sunt; ut theologi et canonistae sacrum, qui sunt a sanctioribus principum consiliis ius publicum, iurisconsulti solum privatum tractent. Sed illud incommodum nescio an ullo commodo rependi possit: quod cum aequitas ex factis spectetur, et facta infinita, et in iis quam plurima levissima sint, leges quoque innumeras et levissimis de rebus maxima ex parte conceptas habeamus. Atqui nec innumerae servari omnes possunt, et de levibus rebus iussae, facile, ut fit, contemnuntur, et leves contemptae gravissimis quoque detrahunt sanctitatem. Quare Alphonsus, Congi rex, cum ingens Lusitanarum legum volumen legisset, quamquam barbarus, sapienter tamen eam minutam diligentiam irridens, quosdam Lusitanos, qui apud eum peregre erant, « quaenam poena apud eos domi in eum sancita esset, qui pede terram tetigisse », interrogavit. Sed priscis Romanis leges admodum paucae, et gravissimis duntaxat de rebus rogatae erant: ut capita Legis XII Tabularum, quae « fons omnis Romani iuris » dicta est, omnia exiguo libello continerentur, et a Romanis pueris ad morum institutionem memoriae mandarentur. Nisi quis hoc incommodum privilegiis, seu legibus singularibus Romanorum compensare velit: quae, ut Tacitus graviter advertit, « etsi

aliquando in maleficos ex delicto, saepius tamen ex dissensione ordinum et apiscendi inclytos honores aut pellendi claros viros aliaque ob prava per vim latae sunt ». Sed id me vetat hanc compensationis conditionem accipere: quia privilegia ab aliis contemni nedum poterant, sed debebant, nam in exemplum non trahebantur; at nostrae minutae leges in consequentiam producuntur.

His, quae enumeravimus, commodis quidem fruimur, incommoda nondum vitavimus. Nam Accursius et qui acutissimi homines, et solertissimi aequitatis indagatores eum secuti sunt, leges Romanas pro nostris temporibus sapientissime sunt quidem interpretati; nam ex minutissimis et omni nostrae rei privatae inutilissimis legibus quaedam iusti genera in respondendo et iudicando apprime necessaria confecerunt; ut eorum, quae dicuntur « legum summae », generales de iure privato leges sapientissime conceptae videantur. Quare elogium et verum et grave ab Hugone Grotio meruerunt: ut « saepe optimi sint condendi iuris authores, etiam tunc, cum mali sunt interpretes ». Sed hoc decemvirorum dissimiles, quod illi Graecorum leges ad Romanam rempublicam praecipue, Accursiani Romanas ad nostras res privatas accommodarunt. Praeterea cum iidem in legum commentariis iterum innumeras factorum species confingant, iurisprudentiam iterum in minutae diligentiae, quae diximus, mala coniiciunt. Extitit deinde in Italia Andreas Alciatus, quem deinde Galli summa cum laude sectati sunt; qui, sicut antiquae iurisconsultorum sectae ab ipsis authoribus habuere vocabula, ii itidem Alciatiani appellari deberent; et Latinae Graecaeque linguae peritia historiarumque Romanarum eruditione suam Romano iuri luculentiam restituerunt. At ii potius leges Romanis suas reddiderunt, quam ad nos nostris rebuspublicis aptas apportaverunt. Quare in hac ipsa sua de iure privato prudentia, ut de privatis nostri temporis controversiis respondeant vel decidant, Accursianos evolvunt, et ab iis aequi argumenta mutuantur.

Igitur, quando leges pro reipublicae institutis condere et interpretari necesse est, principio regni constitutionem, seu legem illam « regiam », quae lata quidem non est, sed cum Romano principatu nata, spectari et doctrinam de republica

monarchica optime iurisprudentem tenere oportet. Deinde omnia pro regni natura ad civilem ordinare aequitatem, quae Italis « *giusta ragione di Stato* » appellatur, et unis rerumpublicarum prudentibus gnara: quae et ipsa aequitas naturalis, et quidem amplior est, utpote quam non privata utilitas, sed commune bonum suadeat: sed, quia id nec praesens nec peculiare est, vulgus, qui non videt nisi ante pedes posita, et particularium duntaxat intelligens, ignorat.

Ad haec statuat ea aequitatis civilis consilia optima esse, quae aequitatem naturalem quoque prae se ferant; his illa proxima, quae etsi, uti a Iustiniano usucapio dicitur, « impia praesidia » videantur, tamen privato damno utilitatem publicam longe afferant ampliorem; postrema esse quae et civibus bono sint, neque reipublicae obsint. Nam quae civibus prosunt, rei publicae nocent, aequitatis naturalis, non civilis consilia sunt; quae vero et cives, et rempublicam damno afficiunt, non consilia principatus, sed « dominationis flagitia » dicuntur, quibus mali principes ius fasque proculcant, et prius regnum, tandem seipsos perdunt.

Denique principatus Romani originem, stabilimen, formam, auctum, statum, interitum contempletur, et ea omnia cum nostri temporis regno componat, ut, an eaedem publicae utilitates consequantur, dispiciat. Tum quamque definitionem ad regni vim et naturam referat; et cuiusque Romani iuris publicam aliquam caussam, quae necessario omnibus subest, vestiget; et quae iura privata ex caussa condita sunt, quae nostro regno prosit, producat; quae non obsit, permittat; quae noceat, coarctet. Quid est iustitia? constans communis utilitatis cura. Quid iurisprudentia? optimi regni notitia. Quid ius? ars tuendae publicae utilitatis. Quid ius sive iustum? utile. Quid ius naturale? utile cuiusque. Quid ius gentium? utile nationum. Quid ius civile? utile civitatis. Qui fontes iuris? et cur ius naturae natum? ut homo quoquo modo vivat. Cur ius gentium introductum? ut homo tuto et facile vivat. Cur ius civile constitutum? ut homo feliciter beateque vivat. Quae summa lex, quam semper in aliis interpretandis sequi debemus? regni amplitudo, principis salus, gloria utriusque.

Cur leges Furia Caninia, Aelia abrogatae? Cur sublatum ius Latinae et dedititiae libertatis? Cur omnes manumissi liberti Romani facti? ut Romani ingenui obsequio principis firmarentur. Cur dominorum saevitia in servos coërcita? ut ne porro foris erumpant, et audeant principis potentiam attentare. Cur peculia filiisfamilias patrimonii iure permissa? ut mulcta quoque a delinquendo deterreantur. Cur legitimationes institutae? ut patriciorum ferocia mansuesceret. Cur dominium ex iure Quiritium et ius bonorum, usucapio in Italia et longi temporis possessio in provinciis olim distincta, nunc confusa? Cur omnes imperio Romano subiecti civitate Romana donati? An quo sanctius fieret arcanum, posse a provinciis imperatorem Romanum eligi? An, quod verius, ut omnium aeque interesset imperium Romanum stare? Cur donationes insinuandae? ne quis largitionibus turbida agitet. Cur aucta militum privilegia? quo studeant magis potentiae principis. Cur fideicommissorum pudor abiit in iuris necessitatem? ut socii populi Romani, successionibus Romanorum antea prohibiti, Romano principe laetarentur. Cur adgnatorum et cognatorum in successionibus sublata discrimina? ne qui antiqua et perpetua potentiae opumque laude ferocirent. Cur poenae exasperatae? quia, cum princeps mortalis sit, acriori leges custodia indigent.

Haec ego innatantia animadverti, ut huius iurisprudentiae usus et commoda digitum ostendens demonstrarem; et ne per exempla utilitates huius rationis singulas explicem, quod nostrae dissertationis institutum non patitur, per transennam, ut aiunt, indicaverim cunctas. Videtis iurisprudentiam rigidam crescentis reipublicae, mitem et laxam decrescentis imperii fuisse. Haec enim principio consilium fuit, quo principatus Romanus invalesceret; deinde remedium, ut labescens consisteret; tandem malum, quo rueret. Nam, sublato adgnatorum cognatorumque discrimine et iure gentilitatis extincto, e familiis patriciis et res effugit, et nomen evanuit, et virtus est resoluta. Tot in servos beneficiis collatis, ingenuus Romanorum sanguis sensim labefactatus, tandem corruptus est. Omnibus imperio Romano subiectis civitate Romana donatis, amor in patriam,

et studium Romani nominis in civibus indigenis extincta sunt. Iure privato tantopere promoto, cives nihil ius esse dein putarunt, nisi suam ipsorum utilitatem; nec ultra publici commodi studiosi. Romanorum et provinciarum iure confuso, provinciae in propria regna, iam antequam re ipsa invaderentur, abiere: et dissoluto tandem illo nexu, quo maxime Romanum imperium auctum est, ut socii populi Romani solam fidei laudem, Romanus autem populus et nominis gloriam et imperii vim haberet, Romana monarchia sensim debilitata, tandem distracta et deleta est. Ita ut haec laxior iurisprudentia et eloquentiae et potentiae Romanae corruptae fuerit caussa potissima.

Quare princeps, si regnum augeri velit, leges Romanas ex doctrina civili iubeat interpretari; et iudices ex ea lites iudicent, atque optimorum arte illa oratorum, qua semper curant, ut possint, semper ac possunt, praestant, ut privatis caussis publicam agglutinent: iudices, inquam, in partem maxime adversam utantur: illi namque id faciunt, ut privatum ius vincat publicum; at ipsi faciant, ut publicum vincat privatum. Ita namque cum maximo reipublicae bono philosophia iuris, nempe doctrina civilis, iterum cum iurisprudentia coniungetur; maior et gravitas et sanctitas legum erit; eloquentia regno accommodata florebit, quae, quantum publicum ius privato dignitate, amplitudine et gravitate praestat, tantum eloquentiae, quae nunc in usu est, antecellet. Nam oratores, quo caussas obtineant, in eo totos fore necesse est, ut eas iure publico probatas esse confirment; et ita spectati in doctrina civili, politici ad ipsam rempublicam gubernandam accedent.

Scio equidem in nostro Sacro Consilio Neapolitano saepe lites contra Romanas leges, « ex certis caussis », ut eleganter habent in formulis, iudicari: et in summo regni senatu aequum civile naturali saepe in decernendo praeferri: sed id fit peculiari prudentissimorum sapientia oratorum et iudicum, qui sane immortales non sunt. At si id ex instituto regni fiat, cum summa reipublicae utilitate perenne erit.

Atque haec de iurisprudentia in artem redacta aliisque eius generis, mihi in proposito argumento dicenda visa sunt.

XII

Optimorum autem copia exemplorum potissimum videtur esse studiorum, quae imitatione constant, adiumentum. Neque enim, inquiunt, esset Virgilius, nisi ante fuisset Homerus; neque apud nostros Torquatus, nisi ante Virgilius. Et vulgo ferunt « facile inventis addere ». Sed altrinsecus et id maximum est commodum, inventionum praerogativa; et iurisconsulti in definitionibus habent: « occupantium conditionem esse meliorem. » Nam quid aliud est, quod quam plurimis in rebus earum inventores et tempore et dignitate primi, atque adeo saepe soli extiterunt? Quid, si optima artificum exempla dixerim obesse potius, quam prodesse omni eius generis studiorum rationi? Mirum fortasse, sed certe verum. Nam qui optima nobis artium reliquerunt exempla, nullum exemplar ipsi antea, nisi naturam optimam habuerunt. Qui vero optima opificum, ut pictorum, exemplaria sibi imitanda proponunt, meliora efficere nequeunt: nam quantum in natura boni erat, a prioribus in suo cuiusque genere exhaustum est; alioqui non essent optimi; aequare, tantundem; cum nec phantasiae vim, nec spirituum mobilitatem et copiam, neque nervorum structuram, quibus a cerebro ad manum ferantur, neque tantundem exercitationis, unde eandem facilitatem habeant. Cum igitur nec superare, nec aequare possint, necesse est ut in deterius vergant. Quod sane verum agnovit et professus est Titianus, qui, dum Venetiis pingeret, a Francisco Varga, a Carolo quinto imperatore ad eam rempublicam legato, interrogatus, « cur tam pingui pingendi genere delectaretur, ut eius penicilli scopae ferme viderentur »; respondit « quemque in arte, quam profitetur, aliquam excellentiae laudem spectare oportere, et illam imitatorum mediocri minorem esse. Itaque, quando Bonarota et Urbinas, ille grandi, hic tenui picturae genere, summam quisque occuparunt, se ab iis longe aliam iniisse viam, qua sibi aliquam nominis celebritatem compararet ». Atque inde illud ego suspicor factum, quod, cum Hercules Pharnesianus

aliaque optima antiquorum opera sculptorum, non item Ialysus Protogenis, nec Apellis Venus ad nos pervenerint, in sculptura multum desideretur; pictura ad summum usque perducta est. Quod si haec non ita se habent, ut dixi, quid est, quod apud Graecos, Latinos ac nostros (ut taceam de historica et oratoria, quae ad rerumpublicarum momenta convertuntur) in re poëtica eadem lingua, religione et studiorum ratione vigente, optimis minores fere semper successerint? Quamobrem optima artium exemplaria prorsus deleri necesse esset, ut optimos authores haberemus. Sed, quando id barbarum et nefarium est, et paucis datum ad summa eniti, ea minoribus ingeniis serventur; qui vero beatissima indole praediti sunt, ea aspectu amittant suo, ut optimam naturam cum optimis imitari contendant.

## XIII

Typi autem non dubium est, quin nostrae studiorum rationi magno sint adiumento: eorum enim beneficio iam illa declinavimus, quae antiqui perferebant, incommoda: ut ingenti aere, longisque itineribus manuscriptos codices perquirerent exquirerentque; et tamen saepe iis eorum copia non fiebat, quod domini invidiosa illa frui laude vellent, ut apud ipsos unos autographa asservarentur. Iam ingenti copia et varietate, ubique locorum, non Ptolemaeis regibus tantum, sed cuivis privato homini, commodis preciis dictis, prostant. Sed vereor, ne abundantia et vilitate nimia, ut fieri solet, minus simus industrii, neve convivas imitemur, qui in lautis opiparisque coenis cibos suetos et boni succi amoveri iubent, et exuratis ac minus utilibus se ingurgitant.

At vero, cum libri manu scribebantur, librarii, ut operae precium facerent, auctores constantis famae exscribebant; eosque saepe cum caro venderent, studiosi sua ipsorum manu exscribere adigebantur. Quo exercitationis genere mirum quantum proficitur! quia rectius meditamur quod scribimus, atque adeo quod nec perturbate, neque raptim, neque intercisim, sed

placide et perpetuo ordine scribimus. Ita namque non perfunctoria notitia, sed longa nobis consuetudo cum ipsis authoribus intercedit, et per eam in ipsos puros putos transformamur. Atque hac de caussa pravi authores scriptura frigebant; boni vero tanta cum utilitate celebrabantur. Nam magis argute, quam vere illud a Verulamio dicitur: barbarorum inundatione, graves scriptores pessundatos, leves innatasse. Etenim in omni doctrinae genere principes ad nos optimique, scripturae beneficio, pervenerunt, et si unus et item alter exciderit, id fortunae imputandum. At mea quidem memoria, necdum etiam senex haec scribo, scriptores vivos hac frui laude vidi, ut eorum opera duodecim, et fortasse plus eo typis mandata sint, nunc vero non tantum contemni, sed sperni quoque; alios diu incultos et desolatos, tandem, aliqua ex obliquo occasione data, nunc a doctissimo quoque celebrari. Quin eruditissimos viros memini, quaedam literarum prorsus damnare studia; nunc, mutato iudicio, in iisdem totos versari video. Eius rei multae sunt caussae. Nam suus cuique aetati genius est: novitas, ut pulchritudo, commendat vicia, quae, exoleta aetate, insignia fiunt; scriptores, qui repraesentatum studiorum fructum capere volunt, stylum tempori servant; et literae suas habent partes, obsequia, simultates, ac in literaria quoque republica sunt qui sua callent arcana potentiae; et adolescentes, quo magis modesti ac ingenui, eo magis creduli, et gravibus doctrina viris obsequentes. Quare lectionem cum saeculorum iudicio instituamus, et nostram studiorum rationem sub quadam regamus tutela: legamus antiquos prius; nam ii et fidei et industriae et authoritatis sunt iam spectatae; atque ipsimet nobis sint normae, quos porro ex recentioribus praelegamus.

## XIV

Quod reliquum erat de universitatibus studiorum, mirum sane videatur cur antiqui corporibus, ut ita dicam, studiorum universitates fundarint, thermas et campum, ubi adolescentes

cursu, saltu, pugilatu, pali iactu, disci pilaeque ludo, natatione et balneis robusti agilesque fierent; nec ullam, quibus animos excolerent firmarentque instituere cogitarunt?

Si de Graecis sermo sit, id in caussa fuit, quia unus philosophus absolutissima studiorum universitas erat. Graeci namque sua utebantur lingua, et ea sane, quae propagines tam beatas habebat, ut non solum ad omnia in medio civilis vitae posita, sed abditissima scientiarum et artium elegantissimis vocabulis significanda aequa venere et felicitate perducerent. Leges autem ipsi magis aliis nationibus dono dare, quam ullas peregre accipere. Quibus rebus tantum ceteris se gentibus praestare existimabant, ut illa fastus plena interrogatione uterentur: — Graecus es, an barbarus? — quasi omnium orbis terrarum gentium ipsi dimidiam et meliorem partem valerent. Cumque haec ita essent, et praeterea unam philosophiam, omnium scientiarum et artium parentem, obstetricem, alumnam excolerent, et de ea, non tam aliorum authoritatibus, quam ipsis rerum argumentis dissererent: commode unusquisque philosophus res divinas atque humanas omnes sibi subiiciebat, atque ab eo uno auditores, quicquid in republica sciri oportebat, perdiscebant.

Romani autem, quamquam lingua praediti, quae externas haberet origines, eas tamen tam superbe fastidiebant, ut vocabulorum,

. . . quae graeco fonte cadunt, parce detorta,

quasvis leves, falsas, ineptas, quam externas historias narrare mallent. Et quamquam leges bona ex parte a Graecis accepissent, quia tamen ad suae reipublicae formam sapientissime accommodarunt, eo pacto proprias effecerunt. Effectu itaque Romani, quod ad linguam et leges attinet, Graecis exaequabantur. Sed hoc Graecis minus universitatibus egebant, quia in una iurisprudentia sapientiam, ut diximus, collocarunt, eamque ipsam usu reipublicae edocebantur, et patricii, ut potentiae arcanum, occultabant. Quare tantum abest, ut Romanis ulla studiorum universitate opus esset, ut nullam prorsus fundari interesset. At, verso in principatum statu, quia Romanorum

principum interfuit iurisprudentiae mysteria vulgari, et scriptorum multitudine, sectarum divisione, opinionum varietate, eius doctrina amplior facta est; ad eam denique profitendam academiae Romae, Constantinopoli ac Beryti fundatae sunt.

Quanto igitur magis universitatum nos indigi, quibus sacri Libri, et cum iis Orientales linguae, canones conciliorum, quae in aliis atque aliis Asiae, Europae Africaeque nationibus, et urbibus ab apostolis ad nos usque sunt habita, Romanorum Longobardorumque leges, de feudis consuetudines, doctrinae Graecae, Latinae, Arabicae in nostrarum usus rerumpublicarum importatae, sunt pernoscendae! Ad haec addas librariorum menda, librorum plagia et imposturas, alienae manus irreptiones, quibus legitimos authorum partus vix agnoscimus, vix germanos sensus assequimur. Ita ut, cum, quod nos scire oportet, tot libris contineatur, quorum linguae intermortuae, respublicae deletae, mores ignorati, codices corrupti, una quaevis ars scientiaque adeo difficilis facta est, ut vix singuli ad singulas profitendas sufficiant. Itaque studiorum universates nobis institutae sunt, et omni disciplinarum genere instructae, in quibus alii alias doctrinas, suae quisque scientissimus, tradunt.

Sed huic commodo illud incommodum obiicitur, quod artes scientiaeque, quas sola philosophia uno tamquam spiritu continebat, hodie divisae et distractae sunt. Antiquitus ita constabant philosophi, ut non solum mores suae cuiusque doctrinae convenientes, sed ipsum disserendi genus accommodatum haberent. Socrates, quia « nihil se scire » profitebatur, nihil quicquam ipse afferebat in medium, sed minutis interrogationibus se a Sophistis velle discere simulabat; quibus datis, suas conficiebat inductiones. Stoici, quibus mentem veri regulam, et sapientem nihil opinari placebat, ipsi indubie vera pro suo iure sumebant; et ea, per vera secunda, tamquam per annulos, ad dubia usque catenabant, et sorite, suo telo, utebantur. Aristoteles, qui et sensu et mente verum diiudicari volebat, syllogismo utebatur, quo communiter vera dabat, ut in specie dubia sibi certa redderentur. Epicurus vero, qui sensibus notionem veri demandabat, nec dabat quicquam, nec accipiebat ab adversariis; sed res nuda

et simplici oratione explicabat. Hodie autem, auditores, forte ducti ab Aristotelico in dissertatrice, ab Epicureo in physica, a Carthesiano in metaphysica eruditur; a Galenico discit medicinae theoriam, a chemico praxim, ab Accursiano iurisprudentiae *Institutiones*, a Fabrista *Pandectarum*, ab Alciatiano *Codicis* libros praelegit. Et ita incondita ac saepe perversa eorum institutio est, ut, quamquam partibus doctissimi sint, in summa tamen, qui sapientiae flos esset, non constent. Quare, ut id videtur incommodum, vellem, ut universitatum antecessores unum omnium disciplinarum systema ad religionem et rempublicam accommodatum componerent, quod doctrinam usquequaque conformem obtineret, idque ex publico instituto profiterentur.

## XV

Atque haec habui, quae de nostrae studiorum rationis cum antiqua comparatae commodis incommodisque dissererem, ut nostra antiqua rectior meliorque usquequaque esse possit. Quae meditata si vera erunt, iam meae fructum vitae omnem intercepero; qua semper studui, ut, pro mea tenuissimi hominis virili parte, humanam societatem adiuvarem: sin falsa aut vana arguantur, honestum certe votum et magnanimus conatus veniam promeruerint. Sed quis dixerit: — Magna subire pericula quem necesse est, magnanimitati ducitur; quem non oportet, temeritati. Quid tua — inquiet — eiusmodi argumenta, quae omnia sapiunt, disserenda suscipere? — Nihil mea Ioh. Baptistae a Vico; at mea multum eloquentiae professoris: quando sapientissimi maiores nostri, qui hanc studiorum universitatem fundarunt, eloquentiae professorem omnes scientias artesque doctum esse oportere satis suo instituto significarunt, ut is anniversaria oratione studiosam iuventutem ad omnia scientiarum et artium genera capessenda exhortaretur. Nec temere ter maximus ille vir Franciscus Verulamius, illud Iacobo Angliae regi dat de ordinanda studiorum universitate consilium, ut adolescentes, nor

omni doctrinarum orbe circumacto, ab eloquentiae studiis prohibeantur. Nam quid aliud est eloquentia, nisi sapientia, quae ornate copioseque et ad sensum communem accommodate loquatur? Igitur ad quem professorem auditores, nisi omnes scientias artesque docti accedere non possunt, is ex sui vi muneris ignorabit? et qui adolescentes ad omnia disciplinarum genera exhortari debet, earum commoda ut sequantur, incommoda ut vitent, disserere non decet?

Quare qui pro dignitate hoc gravissimum et, quod sentio, meis humeris longe maius, sustinent onus, mihi C. Cilnii Maecenatis Crispique Sallustii aliorumque deinceps, qui equites illustres dicti sunt, similes esse videntur, qui quamquam censum senatorio longe ampliorem haberent, in equestri tamen ordine modestia consistere voluerunt. Igitur pro meo eloquentiae professoris iure, nedum officio, hoc tractandum sumpsi argumentum; neque ad id ulla alios obtrectandi vel me ostentandi prava abduxit libido. Etenim ut, aequanime lector, vidisti, ubi incommoda censui, authores praecidi; et sicubi eos appellare necesse fuerit, eos non sine summa honoris significatione, uti et me homuncionem et illos tales tantosque viros decuit, nominavi. Ipsa autem incommoda per sedulitatem quanto potui maiorem attenuata modestissime exposui.

Nam ab ineunte pueritia eam mihi legem, quam imbecillitas humano generi sanxit, irrogavi: uti alios mea vellem, ita aliena me peccata aequi bonique consulere; maxime ubi alii innumera et maxima recte fecerint et in minimis prave pauca, ego in nugis innumera fortasse peccaverim. Me vero in hac dissertatione nihil omnino iactavi; idque adeo cavi sedulo, ut quamquam ea speciosum titulum prae se ferre posset: De recentiori et antiqua studiorum ratione conciliata, nihilominus maxime vulgarem concepi; nam

> Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

velim.

Mea autem circa id argumentum excogitata nullis magnificis ornavi verbis, ne iniuriam facere viderer tibi, erudite

lector, qui tuo iudicio duceris, et ius esse tuum intelligis de scriptore in alterutram partem iudicare. Sed nonne replicaverit, id gloriosi est, quod dixerim, me novam rem in literarum rempublicam apportare? Minime vero: nam novitas proprium laudis argumentum non est; ridicula enim et monstra novitate censentur. Illud vero laude dignum, recte nova dixisse: quod ego tibi, lector, communique eruditorum iudicio virorum permitto, a quibus profiteor me nunquam esse dissensurum. Nam id in omni vita unum maxime formidavi: ne ego solus saperem, quae res plenissima discriminis semper mihi visa est, ne aut deus fierem, aut stultus. Sed idem obiecerit me satis rebus ipsis ostentasse magnificum, qui omnia sapientiae studia mihi subiecerim; et de iis, tamquam in omnibus versatissimus, iudicia rotundo ore protulerim. Sed qui id obiicit, quae haec sint iudicia, quaeso, animadvertat: nempe, ut doctrina alia alii prosit vel obsit, et qua ratione obesse non possit; quod iudiciorum genus, nisi qui

> horum... nihil egregie, praeter caetera
> . . . et tamen omnia haec mediocriter

studuerit, nemo recte praeterea proferre potest. Nam ita comparatum animadvertimus, ut qui in uno doctrinae genere omnem adiunxerit animum omnemque vitam collocarit, eam artem scientiamque caeteris praestare omnibus, et cuique rei optimam esse existimet, et in quosvis alienissimos usus traducat: nostrae forsan imbecillitate naturae, qua ex nobis nostrisque rebus delicias facimus. Quare ne falsa iudicia protulerim, si de omnibus, de eloquentia vereor maxime, quia profiteor. Haec dixi ad obtinendam mei muneris morumque meorum dignitatem; si quis vero ipsis rerum momentis res ipsas reprehendat, gratias ei habuero maximas, si me ab aliquo errore deduxerit; aeque tantas, vel si voluerit.

---

III

DE

# ANTIQUISSIMA ITALORUM SAPIENTIA

EX

LINGUAE LATINAE ORIGINIBUS

ERUENDA

LIBRI TRES

---

Liber primus: metaphysicus
Liber secundus: physicus
Liber tertius: moralis

—

1710

# PROOEMIUM

Occasio scribendorum — Linguae doctae a nationum philosophis — Doctae latinae linguae origines ab Ionibus et Hetruscis — Secta Italica sapientissima — Hetrusci metaphysica doctissimi — Hetrusci geometria Graecis antiquiores — Hoc opus ad *Cratyli* Platonici exemplum. Aliud ac Varronis, Scaligeri, Sanctii Scioppiique.

Dum linguae Latinae origines meditarer, multorum bene sane verborum tam doctas animadverti, ut non a vulgari populi usu, sed interiori aliqua doctrina profecta esse videantur. Et sane nihil vetat, quin aliqua lingua philosophicis locutionibus referta sit, si in ea gente multum philosophia celebretur. Ex mea quidem memoria promere id possim, quod, dum Aristotelaei philosophi et Galenici medici florebant, per ora hominum illiteratorum pervulgata erant « fuga vacui », « naturae aversiones et studia », « quatuor humores » et « qualitates » et innumera eiusmodi; postea vero quam neoterica physice et medicina ars invaluit, vulgus hominum passim audias « sanguinis circumlationem » et « coagulum », « utilia noxiaque fermenta », « aëris pressionem », et alia id genus loqui. Ante Hadrianum Caesarem hae voces « ens », « essentia », « substantia », « accidens », Latinis inaudita, quia Aristotelis *Metaphysice* incognita; viri docti post ea tempora eam celebrarunt, et ea vocabula divulgata. Quapropter, cum Latinam linguam locutionibus satis doctis scatere notassem, et priscos Romanos usque ad Pyrrhi tempora nulli rei, praeterquam rusticae et bellicae, dedisse operam, historia testetur; eas ab alia docta natione ipsos accepisse et imprudentes usos esse coniectabam.

Nationes autem doctas, a quibus eas accipere possent, duas invenio, Iones et Hetruscos. De Ionum doctrina non est ut multis doceam: cum in iis Italica philosophorum secta, et quidem doctissima praestantissimaque floruerit. Hetruscos autem eruditissimam gentem fuisse, magnificorum doctrina sacrorum, qua praestabat, confirmat. Ibi enim theologia civilis exculta est, ubi theologia naturalis excolitur: ibique religiones augustiores, ubi digniores de summo Numine opiniones habentur; et ideo apud nos Christianos castissimae omnium ceremoniae, quia omnium sanctissima de Deo dogmata. Sed et architectura ceterarum simplicissima Hetruscorum, grave argumentum praebet, eos in geometria Graecis priores fuisse. Ab Ionibus autem bonam et magnam linguae partem ad Latinos importatam ethymologica testatum faciunt. Ab Hetruscis autem religiones deorum, et cum iis locutiones etiam sacras, et pontificia verba Romanos accersisse, constat. Quamobrem certo coniicio ab ea utraque gente doctas verborum origines Latinorum provenisse; et ea de caussa animum adieci ad antiquissimam Italorum sapientiam ex ipsius Latinae linguae originibus eruendam. Opus sane hactenus, quod sciam, intentatum, sed forsan dignum quod inter Francisci Baconis desideria numeraretur.

Plato enim in *Cratylo* eadem via priscam Graecorum sapientiam assequi studuit. Quare quod Varro in *Originibus*, Iulius Scaliger, *De caussis Latinae linguae*, Franciscus Sanctius in *Minerva*, ibidemque in notis Gaspar Scioppius praestiterunt, longo a nostro distat incoepto. Ii enim ex philosophia, quam ipsi docti fuerant et excolebant, linguae caussas eruere et systema comprehendere satagerunt; nos vero, nullius sectae addicti, ex ipsis vocabulorum originibus quaenam antiquorum sapientia Italorum fuerit sumus indagaturi.

# LIBER PRIMUS

SIVE

## METAPHYSICUS

AD NOBILISSIMUM VIRUM

PAULLUM MATTHIAM DORIAM

PRAESTANTISSIMUM PHILOSOPHUM

SCRIPTUS

Et principio eas locutiones, quae coniecturae locum faciunt, quas prisci Italiae sapientes de primo vero ac summo Numine animoque humano opiniones haberent, hoc primo libro exequi; eumque tibi, vir amplissime, Paulle Matthia Doria, inscribere, seu potius in hoc libro de metaphysicis rebus, te auspice, disserere certum fuit: qui, ut summum genere et doctrina philosophum decet, praeter cetera philosophica, his celsissimis studiis delectaris; et ea ipsa per summam magnanimitatem et sapientiam excolis. Magni enim animi illud est, quod praeclara aliorum sublimium philosophorum meditata admiraris quidem et laudas; sed et maiora de te confidis et praestas. Nec minoris sapientiae illud, quod unus recentiorum omnium primum verum in humanos usus deduxisti, et altera via in mechanicam, altera in civilem doctrinam derivasti, et principem omni mala regni arte, qua suum Cornelius Tacitus et Nicolaus Macchiavellus imbuerunt, integrum formas: quo nihil ad Christianam legem conformius, nihil ad rerumpublicarum felicitatem exoptatius. Sed isthaec communia tua sunt erga quemvis merita, ad quem vel sola tui amplissimi ac praeclarissimi nominis fama pervenerit. His autem tua erga me illa propria accedunt, quod me et mea pro tua singulari humanitate benignissime excipias, tuque potissimus me ad huiusmodi studia excitaveris. Cum enim anno superiore, super coena, apud te domi dissertationem habuissem, in qua ex his ipsis Latinae linguae originibus naturam collocabam in motu, quo per vim cunei quaeque in sui motus centra compellerentur, et vi

conversa a centro circumcirca expellerentur ad ambitum, et res omnes per systolem et diastolem quandam gigni, vivere et interire; tu et eximii huius civitatis doctrina viri, Augustinus Arianus, Hyacinthus de Christophoro et Nicolaus Galitia, me monuistis, ut eam rem a capite aggrederer, ut rite et ordine constabilita videretur. Itaque idem insistens originum Latinarum iter, haec metaphysica sum meditatus, quae his nominibus tibi inscribo: nam ex posterioribus curis aliquam praeclarissimis iis tribus viris dabo in grati animi et singularis observantiae testimonium.

# CAPUT I

## I

### De vero et facto

Latinis « verum » et « factum » idem — Quid « intelligere » — Quid « cogitare » — Quid « ratio » — Homo « rationis particeps » dictus — Verum est ipsum factum — Cur in Deo primum verum — Cur id infinitum — Cur exactissimum — Quid scire sit — Hominis cogitatio, intelligentia Dei propria — Verum divinum imago rerum solida, humanum plana — Scientia est cognitio modi quo res fiat — Cur antiquis Italiae philosophis verum idem ac factum — In nostra religione distinguenda res est — Cur Sapientia divina « Verbum » appellatum.

Latinis « verum » et « factum » reciprocantur, seu, ut Scholarum vulgus loquitur, convertuntur; atque iisdem idem est « intelligere », ac « perfecte legere », et « aperte cognoscere ». « Cogitare » autem dicebant, quod nos vernacula lingua dicimus « *pensare* » et « *andar raccogliendo* ». « Ratio » autem iisdem significabat et arithmeticae elementorum collectionem, et dotem hominis propriam, qua brutis animantibus differt et praestat: hominem autem vulgo describebant animantem « rationis participem », non compotem usquequaque. Altrinsecus, uti verba idearum, ita ideae symbola et notae sunt rerum: quare quemadmodum legere eius est, qui colligit elementa scribendi, ex quibus verba componuntur; ita intelligere sit colligere omnia elementa rei, ex quibus perfectissima exprimatur idea.

Hinc coniicere datur, antiquos Italiae sapientes in haec de vero placita concessisse: verum esse ipsum factum; ac proinde in

Deo esse primum verum, quia Deus primus Factor; infinitum, qui omnium Factor; exactissimum, quia cum extima, tum intima rerum ei repraesentat elementa, nam continet. Scire autem sit rerum elementa componere: unde mentis humanae cogitatio, divinae autem intelligentia sit propria; quod Deus omnia elementa rerum legit, cum extima, tum intima, quia continet et disponit: mens autem humana, quia terminata est, et extra res ceteras omnes, quae ipsa non sunt, rerum duntaxat extrema coactum eat, nunquam omnia colligat; ita ut de rebus cogitare quidem possit, intelligere autem non possit; quare particeps sit rationis, non compos.

Quae ipsa ut similitudine illustrem, verum divinum est imago rerum solida, tamquam plasma; humanum monogramma, seu imago plana, tamquam pictura; et quemadmodum verum divinum est quod Deus, dum cognoscit, disponit ac gignit, ita verum humanum sit, quod homo, dum novit, componit item ac facit: et eo pacto scientia sit cognitio generis, seu modi, quo res fiat, et qua, dum mens cognoscit modum, quia elementa componit, rem faciat; solidam Deus quia comprehendit omnia, planam homo quia comprehendit extima.

Quae sic dissertata quo facilius cum nostra religione componantur sciendum est antiquos Italiae philosophos putasse verum et factum converti: quia mundum aeternum putarunt, ac proinde Deum ethnici philosophi coluerunt, qui semper ad extra, quod nostra theologia negat, sit operatus. Quare in nostra religione, qua profitemur mundum ex nihilo creatum in tempore, res haec opus habet distinctione, quod verum creatum convertatur cum facto, verum increatum cum genito. Quemadmodum Sacrae paginae, elegantia vere divina, Dei Sapientiam, quae in se omnium rerum ideas continet et idearum omnium proinde elementa, « Verbum » appellarunt: quod in eo idem sit verum ac comprehensio elementorum omnium, quae hanc rerum universitatem componit et innumeros mundos posset, si vellet, condere: et ex iis in sua divina omnipotentia cognitis exactissimum reale verbum existit, quod, cum ab aeterno cognoscatur a Patre, ab aeterno item ab eodem genitum est.

## II

### De origine et veritate scientiarum

Cur theologia revelata omnium certissima scientia — Scientia humana est quaedam naturae anatome — Obiecta scientiarum in Deo alia ac in homine — Deus ens, creata entis — Vere unum id quod multiplicari non potest — Infinitum supra corpus est, et loco non continetur — Quae in homine ratiocinia, in Deo sunt opera — In homine arbitrium, in Deo voluntas ineluctabilis — Latinis idem « dividere » et « minuere » — Via resolutiva — per syllogismos vana — per numeros divinatoria — per ignem et menstrua tentabunda — Abstractio mentis humanae vicio nata — Abstractio scientiae humanae mater — Homo sibi confingit mundum quemdam formarum et numerorum — Mathesis scientia operatrix — Deus res ex vero definit — Homo definit nomina — « Quaestio definitionis » et « nominis » Latinis idem — Idem scientiae humanae ac chemicae evenit — Scientiae humano generi utilissimae, quae certissimae — Ea scientia divinae similis evadit, in qua verum et factum convertuntur — Veri criterium est id ipsum fecisse — Cur scientiae minus certae, quae magis in materia immerguntur — Meditata physica ea probantur, quorum simile, quod operemur — Verum humanum quando cum bono convertitur.

Ex quibus antiquorum Italiae sapientum de vero placitis, et hac, quae in nostra religione adhibetur, geniti et facti distinctione, principio habemus, quod cum in uno Deo exacte verum sit, omnino verum profiteri debemus, quod nobis est a Deo revelatum; nec quaerere genus, quo modo verum sit, quod id omnino comprehendere nequeamus. Indidem originem scientiarum humanarum repetere, ac denique normam ad dignoscendum quae verae sint, habere possimus. Deus scit omnia, quia in se continet elementa, ex quibus omnia componit; homo autem studet, dividendo, ea scire. Itaque scientia humana naturae operum anatome quaedam videtur.

Etenim, illustris exempli caussa, hominem in corpus et animum, et animum in intellectum ac voluntatem dissecuit; et a corpore excerpsit, seu, ut dicunt, abstraxit figuram, motum,

et ab his, uti ab omnibus aliis rebus, extulit ens et unum. Et metaphysica ens, arithmetica unum, eiusque multiplicationem, geometria figuram eiusque commensus, mechanica motum ab ambitu, physica motum a centro, medicina corpus, logica rationem, moralis voluntatem contemplatur.

Sed de hac rerum anatome idem ac de quotidiana humani corporis factum est, in qua acriores physici non parum de situ, structura et usu partium ambigunt, ne non per mortem liquoribus concretis, cessante motu et sectione ipsa, et situs et structura viventis corporis perierint, quamobrem earundem usus explorari non possit.

Nam hoc ens, haec unitas, haec figura, motus, corpus, intellectus, voluntas, alia in Deo, in quo sunt unum, alia in homine, in quo divisa: in Deo vivunt, in homine pereunt. Cum enim Deus « eminenter », ut theologi Christiani loquuntur, sit omnia, et cum perennis entium generatio corruptioque eum nihil demutent, quia eum nihil augent, nec minuunt; entia finita et creata sunt disposita entis infiniti ac aeterni; ita ut Deus unus sit vere ens, cetera entis sint potius. Quare Plato, cum absolute «ens» dicit, summum Numen intelligit. Sed quid Platone opus teste, cum Deus ipse nobis se ipsum definiat: « Qui sum », « Qui est », tamquam singula quaeque prae eo non sint? Et nostri ascetae, sive metaphysici Christiani, ita praedicant: nos prae Deo, quantumlibet maximos, et quavis de causa maximos, nihil esse. Et, cum Deus unice unus sit, quia est infinitus (infinitum enim multiplicari non potest), creata unitas prae eo perit: et ob id ipsum prae eo perit corpus; quia immensum dimensionem non patitur: perit motus, qui loco definitur, quia perit corpus; nam corpore locus completur: ratio haec humana perit, quia, cum Deus habeat intra se quae intelligit et omnia praesentia habeat, quae in nobis sunt ratiocinia, in Deo sunt opera: postremo haec nostra voluntas flexilis; at Deus, cum nullum alium sibi propositum finem habeat, quam seipsum, cumque is sit optimus, eius voluntas ineluctabilis est.

Et harum rerum vestigium, quas disseruimus, in Latinis locutionibus observamus: nam idem verbum « minuere » et diminu-

tionem et divisionem significat; quasi quae dividimus non sint amplius quae erant composita, sed deminuta, mutata, corrupta. An id ratio sit, cur via « resolutiva », quam dicunt, sive per genera et syllogismos, quae ab Aristotelaeis celebratur, vana comperiatur; sive per numeros, quam tradit algebra, sit divinatoria; sive per ignem et menstrua, qua pergit chemica, eat tentabunda?

Per haec igitur, cum homo, naturam rerum vestigabundus, tandem animadverteret se eam nullo assequi pacto, quia intra se elementa, ex quibus res compositae existant, non habet, atque id fieri ex sua mentis brevitate, nam extra se habet omnia; hoc suae mentis vicium in utiles vertit usus, et abstractione, quam dicunt, duo sibi confingit; punctum, quod designari, et unum, quod multiplicari posset. Atqui utrumque fictum: punctum enim, si designes, punctum non est; unum, si multiplices, non est amplius unum. Insuper pro suo iure sumpsit ab his in infinitum usque procedere, ita ut lineas in immensum ducere, unum per innumera multiplicare sibi liceret. Atque hoc pacto mundum quemdam formarum et numerum sibi condidit, quem intra se universum complecteretur: et producendo, vel decurtando, vel componendo lineas, addendo, minuendo, vel computando numeros infinita opera efficit, quia intra se infinita vera cognoscit.

Neque enim in solis problematibus, sed in theorematis ipsis, quae vulgo sola contemplatione contenta esse putantur, operatione opus est. Etenim, dum mens colligit eius veri elementa, quod contemplatur, fieri non potest quin faciat vera, quae cognoscit. Porro, quia physicus non potest res ex vero definire, hoc est rebus suam cuique naturam addicere, et ex vero facere; id enim fas Dei est, nefas homini; nomina ipsa definit, et ad Dei instar ex nulla re substrata, tamquam ex nihilo res veluti creat, punctum, lineam, superficiem: ut « puncti » nomine intelligat quid, quod partes non habeat; appellatione « lineae », puncti excursum, sive longitudinem, latitudinis ac profunditatis expertem; acceptione « superficiei » duarum diversarum linearum in unum punctum coitionem, sive latitudinem cum longitudine, praecisa profunditate. Atque hoc pacto, quando ei negatum est elementa rerum tenere, ex quibus res ipsae certo

existant, elementa verborum sibi confingit, ex quibus ideae sine ulla controversia excitentur. Et id quoque sapientes Latinae linguae authores satis perspexerunt, cum Romanos ita locutos esse sciamus, ut « quaestionem nominis » et « definitionis » promiscue dicerent; et tunc quaerere definitionem putarent, cum quaerebant quid, verbo prolato, in communi hominum mente excitaretur.

Ex his vides idem humanae scientiae ac chemicae evenisse: uti enim haec, dum rei omnino irritae studet, praeter propositum humano generi utilissimam operariam artem, spargiricam peperit; ita dum humana curiositas verum natura ei negatum vestigat, duas scientias humanae societati utilissimas genuit, arithmeticam et geometriam, atque ex his progenuit mechanicam, omnium artium hominum generi necessariarum parentem. Cum igitur scientia humana nata sit ex mentis nostrae vicio, nempe summa eius brevitate, qua extra res omnes est, et qua quae noscere affectat non continet, et quia non continet, vera quae studet non operatur; eae certissimae sunt, quae originis vicium luunt, et operatione scientiae divinae similes evadunt, utpote in quibus verum et factum convertantur.

Atque ex his, quae sunt hactenus dissertata, omnino colligere licet, veri criterium ac regulam ipsum esse fecisse: ac proinde nostra clara ac distincta mentis idea, nedum ceterum verorum, sed mentis ipsius criterium esse non possit: quia, dum se mens cognoscit, non facit, et quia non facit, nescit genus seu modum, quo se cognoscit. Cumque humana scientia ab abstractione sit, iccirco scientiae minus certae, prout aliae aliis magis in materia corpulenta immerguntur: uti minus certa mechanice quam geometria et arithmetica, quia considerat motum, sed machinarum ope: minus certa physice quam mechanice, quia mechanice contemplatur motum externum circumferentiarum, physice internum centrorum: minus certa moralis quam physica, quia physica considerat motus internos corporum, qui sunt a natura, quae certa est; moralis scrutatur motus animorum, qui penitissimi sunt, et ut plurimum a libidine, quae est infinita, proveniunt. Atque indidem in physica ea meditata probantur, quarum

simile quid operemur: et ideo praeclarissima habentur de rebus naturalibus cogitata, et summa omnium consensione excipiuntur, si iis experimenta apponamus, quibus quid naturae simile faciamus.

Et, ut uno verbo absolvam, ita verum cum bono convertitur, si quod verum cognoscitur, suum esse a mente habeat quoque a qua cognoscitur; et ita scientia humana divinae sit imitatrix, qua Deus, dum verum cognoscit, id ab aeterno ad intra generat, in tempore ad extra facit. Et veri criterium, quemadmodum apud Deum inter creandum est suis cogitatis bonitatem communicasse: « vidit Deus, quod essent bona »; ita apud homines sit comparatum, vera quae cognoscimus, effecisse. Sed hae res quo munitiori sita sint loco, sunt a dogmaticis scepticisque vindicanda.

## III

### De primo vero, quod Renatus Carthesius meditatur

Metaphysica aliis scientiis subiectum asserit, cuique suum — Qui finis dogmaticos inter et scepticos — Genius fallax Carthesii idem ac somnium divinitus immissum Stoicorum — Et Mercurius adsimulatus Sosia apud Plautum in *Amphytruone* — Conscientia aliud a scientia. — Quid scientia. — Quid conscientia — Cogitationis caussae occultae. — Idque adeo in nostra religione — Mens humana aranei similis a nostris metaphysicis fingitur — An ex conscientia cogitandi scientia entis nascatur — Scire per scepticos quidnam esset.

Nostrae tempestatis dogmatici ante metaphysicam pro dubiis omnia vera habent, non solum quae in agenda vita posita sunt, ut moralia et mechanica; sed et physica quoque, atque adeo mathematica: nam unam metaphysicam esse docent, quae nobis indubium det verum, et ab eo, tamquam a fonte, secunda vera in alias scientias derivari: quod cum nulla ceterarum demonstrent esse quae sunt, et eorum aliud esse mentem, aliud corpus; non sunt quicquam certae de subiectis, de quibus agunt. Quare metaphysicam ceteris scientiis proprios fundos, cuique suum asserere existimant. Itaque magnus eius meditator iubet, qui eius sacris initiari velit, eum non solum persuasionibus, seu, ut loquuntur, praeiudiciis, quae per sensus, fallaces nuncios, usque ab infantia conceperunt, sed etiam omnibus veris, quae per reliquas scientias didicerant, castum adire; et, quoniam oblivisci nostrum non est, mente si minus tamquam tabula pura, saltem uti libro involuto, quem postea in meliori lumine evolvat, se ad audiendos metaphysicos applicet. Igitur finis, qui dogmaticos a scepticis distinet, erit primum verum, quod nos eius metaphysica reserat. Quodnam is sit, ita maximus philosophus docet.

Homo in dubium revocare potest, an sentiat, an vivat, an sit extensus, an denique omnino sit; et in eius argumentum opem advocat cuiusdam genii fallacis, qui nos decipere possit,

non aliter ac apud Ciceronem in *Academicis* Stoicus, ut id ipsum probet, ad machinam confugit, et utitur somnio divinitus misso. Sed nullo sane pacto quis potest non esse conscius quod cogitet, et ex cogitandi conscientia colligere certo, quod sit. Quare primum verum aperit id esse Renatus: « Cogito: ergo sum ». Et vero Plautinus Sosia non aliter, ac a genio fallaci Carthesii, aut a somnio divinitus immisso Stoici, a Mercurio, qui ipsius imaginem sumpserat, in dubium de se ipso adductus, an sit, ad idem instar meditabundus huic primo vero acquiescit.

Certe edepol, quom illum contemplo, et formam agnosco meam,
quemadmodum ego saepe in speculum inspexi, nimis similis est mei.
Itidem habet petasum ac vestitum: tam consimile'st atque ego:
sura, pes, statura, tonsus, oculi, nasum, dens, labra,
malae, mentum, barba, collum: totus, quid verbis opu'st?
Si tergum cicatricosum, nihil hoc simili est similius.
Sed quom cogito, equidem certo sum ac semper fui.

Sed scepticus non dubitat se cogitare; quin profitetur ita certum esse, quod sibi videre videatur, et tam obfirmate, ut id vel cavillis calumniisque propugnet: nec dubitat se esse; quin curat sibi bene esse per assensus suspensionem; ne praeterquam quas ipsae res habent molestias, addat illas opinionis. Sed certitudinem, quod cogitet, conscientiam contendit esse, non scientiam, et vulgarem cognitionem, quae in indoctum quemvis cadat, ut Sosiam; non rarum verum et exquisitum, quod tanta maximi philosophi meditatione egeat ut inveniatur. Scire enim est tenere genus seu formam, quo res fiat: conscientia autem est eorum, quorum genus seu formam demonstrare non possumus: ita ut passim in vita agenda de rebus, quarum nullum nobis edere signum vel argumentum datur, conscientiam testem demus. At, quamquam conscius sit scepticus se cogitare, ignorat tamen cogitationis caussas, sive quo pacto cogitatio fiat; idque adeo nunc se ignorare profiteretur, cum in nostra religione animum humanum omni corpulentia purum quid esse profiteamur.

Unde sentes illi illaeque spinae, in quas offendunt, et quibus mutuo compunguntur subtilissimi nostrae tempestatis metaphysici,

dum quaerunt quomodo mens humana in corpus, corpus in mentem agat, cum tangere et tangi non possint nisi corporibus corpora. A quibus difficultatibus adacti ad occultam Dei legem tamquam ad machinam confugiunt, quod nervi mentem excitent, cum ab obiectis externis moventur; et mens intendat nervos, quando ei agere collibitum sit. Itaque fingunt mentem humanam tamquam araneum, ita in conario, ut ille in suae telae centro quiescere; et ubi quodvis telae filum alicunde motum sit, araneus id sentiat: cum autem araneus, immota tela, tempestatem praesentiscit, omnia suae telae fila commoveat. Atque haec occulta lex ab iis memoratur, quia ignoratur genus, quo cogitatio fiat, ac proinde se obfirmabit scepticus cogitandi scientiam non habere.

Sed dogmaticus replicaverit scepticum ex conscientia cogitandi scientiam entis acquirere; cum ex conscientia cogitandi inconcussa certitudo entis nascatur. Nec quis certus omnino esse potest quod sit, nisi esse suum ex re conficiat, de qua dubitare non possit. Itaque scepticus non est certus se esse, quia id a re omnino indubia non colligit. Verum ad haec scepticus negabit ex conscientia cogitandi scientiam entis acquiri. Nam scire is contendit esse nosse caussas, ex quibus res nascatur: at ego, qui cogito, mens sum et corpus: et, si cogitatio esset caussa quod sim, cogitatio esset caussa corporis. Atqui sunt corpora, quae non cogitant. Quin, quia corpore et mente consto, ea propter cogito; ita ut corpus et mens unita sint cogitationis caussa: nam, si ego solum corpus essem, non cogitarem; sin sola mens, intelligerem. Enimvero cogitare non est caussa quod sim mens, sed signum; atqui techmerium caussa non est; techmeriorum enim certitudinem cordatus scepticus non negaverit, caussarum vero negaverit.

## IV

### Adversus scepticos

Omnium comprehensio caussarum est Deus — Scientia divina humanae regula.

Nec ulla sane alia patet via, qua scepsis re ipsa convelli possit, nisi ut veri criterium sit id ipsum fecisse. Ii enim celebrant illud, res sibi videri; quid autem re ipsa sint, ignorare: effecta fatentur, ac proinde ea suas habere caussas concedunt; sed caussas se scire negant, quia ignorant genera seu formas, quibus quaeque res fiant. Haec ab iis accepta contra ipsos sic regeras.

Haec caussarum comprehensio, qua continentur omnia genera, seu omnes formae, quibus omnia effecta data sunt, quorum simulacra sceptici suis mentibus obiici, et quid reipsa sint ignorare profitentur; est primum verum, quia comprehendit omnes, in quibus etiam ultimae continentur; et, quia omnes comprehendit, est infinitum, nullam enim excludit; et, quia omnes comprehendit, prius corpore est, cuius sua caussa est, ac proinde spiritale quid est. Quod est Deus, et quidem Deus, quem Christiani profitemur: ad cuius veri normam vera humana metiri debemus; nempe ea vera esse humana, quorum nosmet nobis elementa fingamus, intra nos contineamus, in infinitum per postulata producamus; et, cum ea componimus, vera, quae componendo cognoscimus, faciamus; et ob haec omnia genus seu formam, qua facimus, teneamus.

## CAPUT II

### De generibus sive de ideis

« Genus » et « forma » Latinis idem — « Species » et « individuum » et « simulacrum » significat — Genera qua ratione infinita — Forma metaphysica, forma plastae, forma physica, forma seminis — Formae physicae sunt ex metaphysicis formatae — Formarum utilitas — Geometria per formas cur tum opere, tum opera certissima — Cur eadem per species certa opere, incerta opera — Cur artes ideales certo compotes finis — Cur coniecturales non item — Inutilitas generum Aristotelaeorum — Cur scientiae quo plus genericae minus utiles — Physicae operatricis commoda — Iurisprudentes non regulis, sed exceptionibus censentur — Oratores optimi, qui haerent in caussae propriis — Ex historicis utiles qui? — Imitatores boni in circumstantiis melioratis spectantur — Unde scalae idearum Platonicae — Sapientia non est de iis quae genere continentur — Ut genera sunt materia metaphysica — Egregia inter physicam et metaphysicam materiam differentia — Universalium damna: in iurisprudentia; in re medica; in vita agenda — Errores omnes ex homonymia generibus referendi — Homines naturaliter homonymiam fugiunt — An magis genera philosophos in errores, quam sensus in praeiudicia vulgus coniiciant — « Certum » Latinis quae significet — « Verum » et « aequum » Latinis idem — Homo quia neque nihil est, neque omnia, nec nihil percipit, nec infinitum — Universalia rationem habent quandam archetyporum.

Latini, cum dicunt « genus », intelligunt formam; cum « speciem », duo sentiunt, et quod Scholae dicunt « individuum » et « simulacrum », sive « *apparenza* ». De generibus sectae philosophorum omnes ea sentiunt esse infinita. Igitur necesse est antiquos Italiae philosophos opinatos genera esse formas, non amplitudine, sed perfectione infinitas, et, quia infinitas, in uno Deo esse: species autem, seu res peculiares, esse simulacra ad eas formas expressa.

Et quidem si verum antiquis Italiae philosophis idem quod factum; genera rerum, non universalia Scholarum, sed formas fuisse necesse est.

Formas autem intelligo metaphysicas, quae a physicis ita diversae sunt, ut forma plastae a forma seminis. Plastae enim forma, dum ad eam quid formatur, manet idem, et semper formato perfectior; forma seminis, dum quotidie se explicat, demutatur ac perficitur magis; ita ut formae physicae sint ex formis metaphysicis formatae. Et quod non amplitudine, sed perfectione genera infinita existimanda, id utrorum utilitate collata diiudicare facile sit. Nam geometria, quae synthetica methodo traditur, nempe per formas, ideo tum opere, tum opera certissima est, quia, a minimis in infinitum per sua postulata procedens, docet modum componendi elementa, ex quibus vera formantur, quae demonstrat; et ideo modum componendi elementa docet, quia homo intra se habet elementa, quae docet. At ob id ipsum analysis, quamquam certum suum det opus, opera tamen incerta est; quia ab infinito rem repetit, et inde descendit ad minima; atqui in infinito reperire omnia datur; at qua via reperire possis non datur.

Artes autem certius diriguntur ad finem, quem sibi habent propositum, quae docent genera seu modos, quibus res fiunt, ut pictura, sculptura, plastica, architectura; quam quae non docent, ut omnes coniecturales, in qua classe sunt oratoria, politica, medicina: et illae ideo docent, quia obversantur circa prototypos, quos mens humana intra se continet; hae non docent, quia homo nullam formam rerum, quas coniicit, intra se habet. Et quia formae individuae sunt, nam linea longa, seu lata, seu profunda una plus minusve deformat faciem, ut nescias eandem esse; hinc fit quod scientiae artesve quanto plus supra genera, non Platonica, sed Aristotelaea insurgunt, magis confundunt formas, et quanto magis magnificae evadunt, tanto minus utiles fiunt. Quo nomine Aristotelis physica hodie male audit, quod nimis sit universalis: quando contra genus humanum innumeris novis veris ditarunt ignis et machina, instrumenta, quibus utitur recens physica, rerum,

quae sint similes peculiarium naturae operum, operatrix. Indidem iurisprudentia non censetur, qui beata memoria ius theticum sive summum et generale regularum tenet; sed qui acri iudicio videt in caussis ultimas factorum peristases seu circumstantias, quae aequitatem, sive exceptiones, quibus lege universali eximantur, promereant. Optimi oratores non ii, qui per locos communes vagantur, sed qui, ut Ciceronis iudicio et phrasi utar, « haerent in propriis ». Historici utiles, non qui facta crassius et genericas caussas narrant, sed qui ultimas factorum circumstantias persequuntur, et caussarum peculiares reserant. Et in artibus, quae imitatione constant, uti pictura, sculptura, plastica, poëtica, excellunt qui archetypum, a natura vulgari desumptum, circumstantiis non vulgaribus, sed novis ac miris exornant; aut ab alio artifice expressum, propriis ac melioribus distinguunt ac faciunt suum. Quorum sane archetyporum cum alii aliis meliores confingi possint, quia semper exemplaria exemplis praestant; Platonici illas idearum scalas construunt, et per ideas alias aliis perfectiores, tamquam per gradus ad Deum Opt. Max. ascendunt, qui in se omnium continet optimas.

Quin et sapientia ipsa nihil aliud est, nisi solertia decori, qua sapiens ita in omnibus novis rebus loquatur et agat, ut nihil aeque aptum ad id aliunde desumptum accommodari possit. Itaque sapiens a longo et multo rerum honestarum et utilium usu mentem quasi subactam reddit, quo novarum rerum, uti sunt in se ipsis, expressas excipiat imagines; et non aliter paratus sit ex tempore loqui et agere in omnibus rebus cum dignitate, ac fortis comparatum habet animum ad omnes terrores inopinatos. Atqui nova, mira, inopinata universalibus illis generibus non providentur. Quam ad rem satis commode Scholae loquuntur, cum genera materiam metaphysicam esse dicunt, si id ita accipiatur, ut mens per genera informis fiat quodammodo, quo facilius specierum induat formas. Quod sane verum comperitur: nam facilius facta et negocia percipit, uti percipi oportet, qui genera seu simplices rerum ideas habet, quam qui peculiaribus formis mentem instruxit, et ex iis peculiares alias spectat: nam res formata difficile alii formatae rei

aptatur. Quare exemplis iudicare, exemplis deliberare periculosum: quia nunquam aut perraro rerum circumstantiae congruunt usquequaque. Atque hoc differt inter materiam physicam et metaphysicam. Physica materia ideo quamlibet formam peculiarem educat, educit optimam; quia qua via educit, ea ex omnibus una erat. Materia autem metaphysica, quia peculiares formae omnes sunt imperfectae, genere ipso, sive idea, continet optimam.

Vidimus utilitates formarum; nunc universalium damna exequamur. Loqui universalibus verbis infantium est aut barbarorum. In iurisprudentia, ut plurimum, sub ipso iure thetico, seu sub regularum authoritate, saepissime erratur. In re medica, qui recta per theses pergunt, magis contendunt ne corrumpantur systemata, quam ut sanentur aegroti. In vita agenda, quam saepe peccant qui eam per themata instituerunt? de quibus graeca locutio nobis vernacula facta est, qua « thematicos » istos homines appellamus.

Omnes in philosophia errores ab homonymis, vulgo aequivocis, nascuntur: aequivoca autem aliud non sunt, nisi voces pluribus rebus communes; nam sine generibus aequivoca non essent; homines enim naturaliter homonymiam aversantur: cuius rei argumento illud est, quod puer iussus ad accersendum sine discrimine Titium, ubi eius nominis duo sunt, quia natura attendit particularia, statim subdit: — Utrum me accersire vis Titiorum? — Itaque nescio, an magis genera philosophos in errores, quam sensus in falsas persuasiones, seu in praeiudicia vulgus coniiciant. Nam genera, ut diximus, formas confundunt, seu, ut loquuntur, ideas confusas, non minus ac praeiudicia faciunt obscuras. Et vero omnes sectae in philosophia, medicina, iurisprudentia, omnes in vita agenda controversiae et iurgia sunt a generibus; quia a generibus sunt homonymiae, seu aequivocationes, quae ab e r r o r e esse dicuntur. In physica, quia generica materiae et formae nomina; in iurisprudentia, quia longe lateque patet appellatio iusti; in medicina, quia « sanum » et « corruptum » sunt nimis ampla vocabula; in vita agenda, quia vox « utile » definita non est.

Atque ita sensisse antiquos Italiae philosophos haec in lingua Latina extant vestigia: quod « certum » duo significat, et quod est exploratum indubiumque, et peculiare, quod communi respondet; quasi quod peculiare est certum sit, dubium autem quod commune. Iisdemque « verum » et « aequum » idem: aequum enim ultimis rerum circumstantiis spectatur, quemadmodum iustum genere ipso; quasi quae genere constant falsa sint, verae autem ultimae rerum species. Enim vero ista genera nomine tenus sunt infinita: homo enim neque nihil est, neque omnia. Quare nec de nihilo, nisi per aliquid negatum, nec de infinito, nisi per negata finita cogitare potest. — At enim omnis triangulus habet angulos aequales duobus rectis. — Ita sane: sed non id mihi infinitum verum; sed quia habeo trianguli formam in mente impressam, cuius hanc nosco proprietatem, et ea mihi est archetypus ceterorum. Si vero id contendant esse infinitum genus, quia ad eum trianguli archetypum accommodari innumeri trianguli possunt, id sibi habeant per me licet: nam vocabulum iis lubens condono, dum ipsi de re mecum sentiant. Sed enim perperam loquuntur, qui decempedam dixerint infinitam, quod omne extensum ad eam normam metiri possint.

## CAPUT III

### De caussis

Latinis « caussa » et « negocium » idem — Cur « effectus » dictum quod a caussa oritur — Probare per caussas efficere est — Effectus est verum quod cum facto convertitur — Caussarum genera — « Probare a caussis » est elementa rei colligere — Arithmetica et geometria vere probant a caussis — Physica a caussis probari non possunt — Quodvis finitum infinita virtute gignitur — Sapientes Christiani in quavis re minima infinitam Dei virtutem agnoscunt — Impia pietas est velle Deum probare per caussas — Metaphysici veri claritas eadem ac lucis — Eius rei appositissima similitudo.

Latini « caussam » cum « negocio », seu operatione, confundunt; et quod ex caussa nascitur, « effectum » dicunt. Haec autem cum iis, quae de vero et facto disseruimus, conspirare videntur; nam, si id verum est quod factum, probare per caussas idem est ac efficere; et ita caussa et negocium idem erit, nempe operatio; et idem factum et verum, nempe effectus.

Caussae autem spectantur praecipuae in naturalibus materia et forma, uti in moralibus finis, in metaphysica author. Itaque verisimile est antiquos Italiae philosophos opinatos eum probare a caussis, qui materiam, sive elementa rei incondita digerat, et disiecta componat in unum; ex quo ordine et compositione elementorum certa rei forma extet, quae peculiarem naturam in materiam inducat.

Quae si vera sunt, arithmetica et geometria, quae vulgo non putantur a caussis probare, eae a caussis vere demonstrant. Et ideo a caussis demonstrant, quia mens humana continet

elementa verorum, quae digerere et componere possit; et ex quibus dispositis et compositis existit verum quod demonstrant; ut demonstratio eadem ac operatio sit, et verum idem ac factum. Atque ob id ipsum physica a caussis probare non possumus, quia elementa rerum naturalium extra nos sunt. Nam, quamquam essent finita, tamen infinitae virtutis est ea digerere, componere et ex iis effectum dare. Neque enim, si ad primam caussam spectemus, minoris virtutis est formicam producere, quam hanc rerum universitatem creasse; quia non minus confert ad formicae formationem, quam ad huius mundi genesim motus, quo et hic mundus creatus ex nihilo est, et quo formica ex substrata materia producitur.

Et sane in asceticis sermonibus suis nostrae religionis sapientes, nempe qui et cognitione summi Numinis et morum sanctitate praeclari fuerunt, saepe ex flosculi meditatione in Dei cogitationem perveniunt; quod infinitam in eius generatione virtutem agnoscunt. Atque id est, quod in nostra dissertatione *De nostri temporis studiorum ratione* dicebamus, quod « geometrica ideo demonstramus, quia facimus; physica si demonstrare possemus, faceremus ». Hinc adeo impiae curiositatis notandi, qui Deum Opt. Max. a priori probare student. Nam tantundem esset, quantum Dei Deum se facere; et Deum negare, quem quaerunt. Metaphysici enim veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca cognoscimus. Si enim in clatratam fenestram, quae lucem in aedes admittit, intente ac diu intuearis, deinde in corpus omnino opacum aciem oculorum convertas; non lucem, sed lucida clatra tibi videre videaris. Ad hoc instar metaphysicum verum illustre est, nullo fine concluditur, nulla forma discernitur; quia est infinitum omnium formarum principium: physica sunt opaca, nempe formata et finita, in quibus metaphysici veri lumen videmus.

## CAPUT IV

### I

### De essentiis seu de virtutibus

« Essentia » « vis » et « potestas » Latinis dicta — Scientia est de aeternis et immutabilibus — « Dii immortales » Latinorum sunt infinitae omnium rerum virtutes — Cur metaphysica verissima omnium scientia.

Quod Scholae « essentiam » vocant, Latini « vim » et « potestatem » appellant. Essentias autem omnes philosophi aeternas et immutabiles statuunt. Aristoteles diserte eas individuas, seu, ut Scholae loquuntur, in indivisibili consistere asseverat. Plato autem post Pythagoram scientiam esse de aeternis et immutabilibus sentit.

Hinc coniicere licet antiquos Italiae philosophos essentias putasse individuas omnium rerum virtutes aeternas et infinitas; quas proinde Latinorum vulgus vocabat « deos immortales »; sapientes vero pro uno summo Numine accipiebant; et hac de caussa unam metaphysicam veram scientiam esse, quod de aeternis virtutibus ageret. Hinc dubitare licet, an quemadmodum datur motus et conatus, qui virtus movendi est, ita detur extensum, et virtus, qua quid extendatur; et, uti corpus et motus sunt proprium physicae subiectum, ita conatus et virtus extensionis sint materia propria metaphysices: cuius rei te habeo authorem, Paulle praestantissime, qui illud sentis, in physica actus, in metaphysica esse virtutes.

## II

### De punctis metaphysicis et conatibus

« Momentum » et « punctum » Latinis idem — Et quid individuum utrumque — Doctrina de punctis metaphysicis Italiae asseritur — Geometria et arithmetica post metaphysicam maxime verae — Metaphysica omnis veri fons — Qua via verum a metaphysica in geometriam derivatur — Virtus extensi prior extenso est ac proinde inextensum — Virtus numeri non est numerus — Qua ratione puncti definitio sit nominis — Geometria tractat materiam meram, qualem ei suppetit metaphysica — Punctum geometricum instar metaphysici; et punctum metaphysicum corporis physici virtus — De physica Pithagorea iudicium — Idem de physica Zenonia — Quatuor philosophorum classes — Prima — Secunda — Tertia — Quarta — In qua classe Zeno — In qua Renatus — Cur Epicurus et Renatus offendunt in principiis physicae, et feliciter procedunt — Aristotelaeae demonstrationes Zenonem laedantne an iuvent — Deus omnium perfectionum cumulus — Conatus in Deo quies, extensionis virtus in Deo mens — Divisio motus et res physica est: divisibilitas virtus, et metaphysica essentia — De alio Aristoteles cum Zenone contendit, in idem convenit — Aristotelis demonstrationes contra puncta metaphysica ex puncti geometrici definitione proveniunt — Zeno ex geometria metaphysicam in physicam deductam contemplatur — Virtus extensionis individua; et ob id iniquis extensis aequa sternitur — Conatus iniquis motibus aequus subest — Conatus dos puncti — Natura conando coepit existere — Conatus inter quietem et motum medius — Punctum medium inter Deum et extensa — Deus quietus — Materia conatur — Extensa moventur — Ratio eorum, quae cogitat Renatus de reflexione ac refractione motus — A nihilo minima, et ingentia ex aequo distant — Divisio malum, bona individua sunt — Est in metaphysica genus rerum inextensum, extensionis capax — Carthesius analysim in physicam infert — Zeno per syntesim physicam spectat — Aristoteles metaphysicam nulla hypotesi in physicam importat — Renatus physicam in metaphysicam extulit — De rebus physicis metaphysico, de metaphysicis physico genere cogitare, viciosum — Quo pacto infinitum in haec finita descenderit comprehendi non potest — Distincte cognoscere humanae mentis vicium — Metaphysici veri claritas eadem ac lucis — Lux metaphysica seu deductio virtutum in actus conatu gignitur.

Enimvero Latinis « punctum » et « momentum » idem significabant: momentum autem est res, quae movet: et cum punctum, tum momentum iisdem Latinis quid indivisibile dicebatur. An igitur antiqui Italiae sapientes in placitis habuerunt virtutem esse quandam individuam extensionis et motus? et haec doctrina, ab Italia trans mare, uti et aliae multae, in Graeciam traiecta, a Zenone postea interpolata? Etenim de hac individua extensionis ac motus virtute nulli rectius quam Stoici sensisse mihi videntur, qui de ea per hypothesim puncti metaphysici disseruere.

Principio enim nullum est dubium quin geometria uti et arithmetica supra reliquas omnes scientias, quas « subalternas » appellant, aut maxime verae sint, aut certe eximiam veri speciem prae se ferant; et vicissim illud adprime verum, quod metaphysica sit omnis veri fons, et unde in alias scientias omnes derivatur. Quisque autem novit geometras suas syntheticas methodos a puncto ordiri, et protinus ad infinitae rei contemplationem progredi crebris illis postulatis suis, ut lineas in immensum producere sibi liceat. Si quis autem quaerat, qua via id verum, aut ea veri species, ex metaphysica in geometriam derivata, nulla sane, quam per malignum aditum puncti. Nam geometria ex metaphysica virtutem extendendi desumpsit; quae, quia virtus est extensi, prior extenso est, scilicet inextensa. Quemadmodum arithmeticus ex metaphysica desumpsit virtutem numeri, nempe unum, quae, quia virtus est numeri, non est numerus: et quemadmodum unum, quod non est numerus, numerum gignit; ita punctum, quod non est extensum, parit extensionem. Cum enim geometra punctum definit id esse, cuius nulla pars est, ea definitio nominis est; quia nulla substernitur res, quae partes non habeat, et tamen mente vel stylo designes. Quemadmodum unius definitio apud arithmeticum nominis quoque est; quia ii praestituunt unum multiplicabile, quod re ipsa unum non est.

At Zenonii eam puncti definitionem rei existimant, quantum sit punctum instar ad quod de indivisibili extensionis motusque virtute mens humana cogitare possit. Quare falso illud vulgo putant, geometriam suum subiectum a materia

depurare, seu, ut vulgo Scholae loquuntur, « abstrahere ». Nam Zenonii nullam scientiam geometria exactius materiam tractare existimabant, nempe materiam, quam ei meram suppeteret metaphysica, hoc est extensionis virtutem. Neque Aristotelis contra Zenonios demonstrationes super punctis metaphysicis tantam apud eius asseclas haberent auctoritatem, nisi Stoicis punctum geometricum signum ad instar metaphysici, et punctum metaphysicum corporis physici virtus esset. Uti nec Pythagoras eiusque asseclae, e quibus ad nos pervenit, apud Platonem, Timaeus, cum de naturae rebus per numeros disseruerunt, naturam vere ex numeris constare arbitrati sunt: sed mundum, extra quem essent, explicare per mundum, quem intra se continerent, studuerunt. Idem de Zenone eiusque secta iudicium faciendum, qui puncta rerum principia esse existimarunt.

Et vero ex omni memoria quatuor philosophorum classes condi possunt. Alii enim geometrae eximii, qui de principiis physicis per mathesis hypotheses disseruerunt; atque in his est Pythagoras. Alii geometria bene instructi, metaphysicaeque cultores seduli nulla hypothesi de principiis rerum cogitarunt, et iccirco de naturae rebus metaphysico genere disserunt; atque in his est Aristoteles. Alii, et geometriae ignari et metaphysicae hostes, simplex corpus extensum in materiae usum adornarunt; et hi in principiorum explanatione gravissime tamquam in limine offendunt, at felicius tamen de peculiaribus naturae phaenomenis cogitarunt; atque in his est Epicurus. Alii denique corpus quantum et quale principia rerum esse voluerunt: ut ex antiquis, qui terram, aquam, aërem, ignem, vel singula, vel bina, vel cuncta; et ex neotericis chemici. Sed hi nihil quicquam pro dignitate de principiis disserunt; et ex eorum principiis explicationes peculiarium naturae rerum, praeterquam in paucis, quas periculum magis quam consilium obtulit, feliciter succedunt.

Zeno, summus metaphysicus, ad geometrarum hypotheses accessit: et, uti Pythagoras per numeros, is per puncta de principiis rerum commentatur. Carthesius vero, maximus ex aequo metaphysicus et geometra, accessit ad Epicurum: et quae in principiis offendit de motu et formatione elementorum,

omnibus plenis, uti Epicurus, offensiones de vacuo et atomi declinatione, successu rerum peculiarium feliciter explanatarum compensat. An eorum ratio sit, quod uterque figura et machina de naturae rebus disserunt; et peculiaria naturae effecta formata et mobilia sunt; de principiis autem et virtutibus, quia informibus nulla figura, quia indefinitis machina nulla est? Atque haec hactenus ad sententiae Zenoniae declarationem authoritatemque dicta sint. Nunc propria rei propositae argumenta exponamus.

Quaelibet minima extensae rei particula in infinitum diduci Aristoteles geometricis demonstrationibus evincit. Sed Zeno ad eas imperturbatus constat, iisque ipsis sua metaphysica puncta confirmat. Huius enim rei physicae virtutem in metaphysica dari oportet: alioqui quo pacto Deus omnium perfectionum sit cumulus? Extensa quidem in natura sunt; in Deo quid extensum memorare nefas: extensum metimur, infinitum dimensionem indignatur. Extensi vero virtutem « eminenter », ut nostri theologi loquuntur, in Deo contineri fas omnino est. Igitur quo pacto conatus virtus movendi est, et in Deo, conatus authore, quies; ita prima materia est extensionis virtus, quae in Deo, materiae conditore, purissima mens est. Est igitur in metaphysica substantia, quae indefinitae extensi divisionis est virtus. Divisio physica res est; virtus ut res dividatur metaphysicum argumentum; divisio enim actus corporis est, at essentia corporis, uti et caeterarum rerum, in indivisibili consistit: atque id adeo Aristoteles fateri debet, qui docet. Itaque mihi videtur de alio Aristoteles cum Zenone contendere, in idem autem convenire. Nam ille dè actu, hic loquitur de virtute. Et cum Aristoteles divisionem partium in infinitum demonstratione diagonalis, quae in iisdem punctis cum laterali secaretur, quae duae lineae eiusdem sunt impatientes mensurae, urget; iam tum non dividit punctum, sed quid extensum, nam designat. At ea ipsa demonstratio, uti et aliae de circulis concentricis, qui in omnibus suis punctis cum centro secarentur, et de parallelis, quae obliqua ad horizontem ductae, quam perpendicularem intersecarent nunquam totam dividerent, et eius generis aliae, ex puncti definitione, cuius nulla pars est,

stabilitae proveniunt. Neque haec mira nobis sunt demonstrata per geometriam, in cuius definitionibus punctum minima diceretur esse particula in immensum dividua; sed per quam punctum constituitur individuum, et a puncto ita definito ad haec mira demonstrata pervenitur. Quapropter Zeno per eas demonstrationes in sua sententia se obfirmat potius; tantum abest ut confutetur. Quemadmodum enim in hoc mundo formarum, quem homo sibi confingit, et cuius homo quodammodo Deus est, hoc definitum nomen, haec res commenticia, cuius nulla pars est, ex aequo iniquis extensis subest; ita et ad hoc instar in mundo vero, quem Deus condidit, est quaedam individua virtus extensionis, quae, quia individua est, iniquis extensis ex aequo sternitur. Atque adeo virtutes sunt indefinitae; et, quia indefinitae, de iis illa « tot » et « quot » proloqui non datur; illa « plura » « minora » cogitare non licet; illa « magis » et « minus » indignantur.

Atque eae ipsae demonstrationes, quae id evincunt, conficiunt quoque conatum, seu movendi virtutem, utpote rem metaphysicam, iniquis motibus aequum subesse. Et principio multo magis decet expeditissimam Divinae Omnipotentiae facilitatem, quod is crearit materiam, quae esset virtus extensionis et motus simul, quam duplici opera altera materiam, altera motum creasse. Et bona metaphysica id suadet; cum enim conatus quid non sit, sed cuius, nempe materiae modus, eadem creatione materiae eum creatum necesse est. Id ipsum physicae convenit: extante enim natura, seu, ut Scholae dicunt, « in facto esse », omnia moventur: antequam extaret, omnia in Deo quiescebant; igitur natura conando coepit existere: sive conatus « natura », ut Scholae quoque loquuntur, « in fieri est ». Conatus enim quietem inter et motum est medius. In natura res extensae sunt: ante omnem naturam, res omnem extensionem indignans, Deus: igitur Deum inter et extensa est media res, inextensa quidem, sed capax extensionis, nempe metaphysica puncta. Neque vero aliunde summo inter se commensu, seu, ut dicunt, « proportione », haec sibi respondent: hinc quies, conatus, motus; atque hinc Deus, materia et corpus extensum. Deus, omnium motor, in se quietus; materia conatur, corpora extensa moventur; et, ut motus

est modus corporis, quies Dei attributum; ita conatus dos puncti metaphysici est: et, uti punctum metaphysicum est indefinita virtus extensionis, qua iniquis extensis aequa subest; ita conatus indefinita virtus movendi est, qua iniquos motus ex aequo explicat.

Renatus tamquam fundamentum eorum omnium, quae de motuum reflexione ac refractione praeclarissime cogitat, illud substruit, quod motus ab eiusdem determinatione sit alius; ita ut sub eodem determinationis modo, seu « quantitate », ut dicunt, plus motus fieri possit. Unde illud conficit, plus motus esse in determinationibus obliquis quam rectis. Atque hinc reserat rationem, quare corpus obliqua motum duabus caussis uno eodemque tempore satisfaciat: alteri sui ponderis, qua recta deorsum fertur; alteri directionis, qua obliqua tendit ad horizontem; et ita, ubi in planiciem omnino imperviam incidit, uno eodemque tempore ambarum det effecta caussarum, et reflectat ita motum, ut angulus reflexionis angulo incidentiae aequus sit; sin in planiciem incidat perviam, motum refrangat, et pro maiori minorive medii fluxitate, per quod decurrit, propius longiusve abeat a perpendiculari, quam, si per medium uniusmodi pervium deferretur, describeret. Videt quidem verum illud Renatus, sub eodem determinationis modo plus motus fieri posse; rationem autem dissimulat, quia iuxta sentit cum Aristotele contra Zenonem: dissimulat, inquam, quod, uti diagonali et laterali aequa subest virtus extensionis, ita motui recto et obliquo ad horizontem aequa virtus quoque subest movendi.

Harum rerum omnium, quae hactenus disseruimus, ratio ea est, aut ego fallor, quia puncta et conatus sunt, per quae primulum res ex sui nihilo existere occipiunt; et a nihilo minima, et ingentia ex aequo distant. Et ea ratione geometria a metaphysica suum verum accipit, et acceptum in ipsam metaphysicam refundit: hoc est ad scientiae divinae instar humanam exprimit, et ab humana divinam rursus confirmat. Quam cum re ut apte haec omnia congruunt! Tempus dividitur; in individua re stat aeternitas: nisi alia moveantur, non habes quî metiri possis quietem: quare animi perturbationes minuuntur, augentur; tranquillitas

nescit gradus; extensa corrumpuntur, immortalia indivisibili constant; corpus divisiones patitur, mens partium impatiens; in puncto opportunitas, undique circumstant casus: verum praecisum est, undique falsa obvia; scientia enim non dividitur, opinio sectas gignit; virtus nec ultra nec citra, vicium longe lateque patet; rectum unum, prava innumera; optimum in quoque rerum genere in individua re collocatur. Atque adeo mundus physicus est de imperfectis, et rebus in indefinitum dividuis; mundus metaphysicus de ideis, seu rebus optimis, nempe de individuis virtutibus, quae efficaciae sint indefinitae.

Est igitur in metaphysica genus rerum quod extensum non est, est tamen capax extensionis. Non id videt Carthesius, quia, analyticorum more, materiam creatam ponit ac dividit. Vidit autem Zeno, quia a mundo formarum, quem homo sibi per synthesim e punctis condit, de mundo solidorum, quem Deus creaverat, disserere studuit. Non vidit haec Aristoteles, quia metaphysicam recta in physicam intulit: quare de rebus physicis metaphysico genere disserit per virtutes et facultates. Non vidit Renatus, quia recta physicam in metaphysicam extulit, et de rebus metaphysicis physico genere cogitat per actus ac formas. Utrumque vicio vertendum: nam, si definire est rerum fines dirigere, et fines sunt formatorum extrema, et formata omnia a materia per motum educuntur, ac proinde naturae iam extanti accepto sunt referenda; et incivile est, extante iam natura, ex qua iam actus habemus, definire res per virtutes; et antequam natura existat et res formatae sint, eas describere per actus, importunum. Metaphysica physicam transcendit, quia de virtutibus agit et infinito; physica metaphysicae pars, quia de formis agit ac terminatis.

Quo autem pacto infinitum in haec finita descenderit, si vel Deus id nos doceret, assequi non possemus: quia id verum mentis divinae est, quod et nosse et fecisse idem. Mens autem humana finita est et formata; ac proinde indefinita et informia intelligere non potest, cogitare quidem potest: quod vernacula lingua diceremus: « *può andarle raccogliendo, ma non già raccôrle tutte* ». Sed id ipsum cogitare fateri est, quae

cogitas informia esse, et fines habere nullos. Et ob id ipsum distincte cognoscere humanae mentis vicium potius quam virtus est; nam est cognoscere fines rerum. Mens divina in suae veritatis sole res videt; hoc est, dum rem videt, infinitas res cum re, quam videt, cognoscit: mens humana, cum distincte rem cognoscit, eam noctu cum lucerna videt, quam dum videt, adsita aspectu amittit suo. Doleo enim, neque doloris formam agnosco ullam; nullos aegritudinis animi cognosco fines: cognitio indefinita et, quia indefinita, homine digna est: vivida doloris idea est et illustris, ut nihil magis.

Sed haec metaphysici veri claritas eadem est numero ac illa lucis, quam non nisi per opaca distinguimus: metaphysica enim vera illustria sunt, quia nullo fine concludi, nulla re formata distingui possunt: physica autem sunt opaca, quibus metaphysicarum rerum lucem distinguimus. Haec lux metaphysica, sive, ut Scholae loquuntur, deductio virtutum in actus, citra inversa verba, vero conatu gignitur, hoc est indefinita virtute movendi, quae iniquis motibus aequa subest: quae dos est puncti seu indefinitae virtutis, qua quid porrigitur, et iniquis extensis ex aequo sternitur.

## III

### Extensa non conari

Extensorum vel conatus nullus omnino est — vel verissimus motus est — Lucem vero motu gigni — Naturae effecta virtute et potestate explicare physicos dedecet — « Conatus » vocabulum e physicis scholis ad metaphysicas amandandum — Natura motus est: principium motus conatus: excitator conatus Deus.

Nam sane extensa non videntur quicquam conari posse: sive omnia plena sint ex uno genere corporum, quae aequa vi mutuo sibi obsistant; nam in aequa obsistentia rerum, et plenis omnibus, virtus movendi excitari non potest; sive sint plena omnia ex diversis corporum generibus, quorum alia obsistant, alia loco cedant; nam in iis verissimi motus fiunt. Nec vero, si brachio velim parietem perrumpere, conatus est; cum ea sit vera nervorum motio, qua ex remissis intenti fiunt: non aliter vere movetur piscis, qui ripae se applicat et adversae profluenti resistit. Nam ad eam tentionem alii atque alii spiritus animales succedunt, ac proinde verus sit motus, donec non, succedentibus porro aliis, nervi languescant ac remittantur. Et ex genere, si conatus est virtus movendi, qua pollent extensa, impedita, an, ut maxime impedita sit, aliquo pacto explicatur tamen? an omnino explicari nunquam potest? si quo tamen pacto explicatur, is verissimus motus est; sin autem nullo pacto explicari potest, quod hoc vis genus est, quae semper sit irrita? cum vis fieri nulla possit, quin quo momento fit, explicetur; ut quod vim facit tantum intendatur, seu moveatur. Quare, si naturae effecta omnia percurramus, ea motu, non conatu, nasci comperiemus.

Vel ipsam lucem, quae temporis momento diffundi videtur, physici optimae notae docent temporis successu fieri et vero motu. Atque utinam lux instanti fieret, ut ex puncto luculentissimum naturae opus natum haberemus. Etenim, si lux

instanti temporis gignitur, dari id puncti effectus in natura necesse est. Nam instans temporis loci punctum affectatur. Igitur, si lux est directio orbiculorum, quae in instanti fiat, orbiculi haud possunt in una sui parte dirigi, quae extensa sit. Nam extensa sunt extremis disterminata; extrema mediis dissita: extrema autem et media tempore et vero motu percurruntur. Itaque quo lux conatu et temporis instanti gignatur, orbiculi in punctis, quorum nulla pars sit, dirigi debent. En res in natura esset, quae nullam haberet extensionem. Sed enim ista puncta, in quibus diffundi lucem, oboriri tenebras dicunt, sunt nimis corpulenta, nec pro gracili geometriae ingenio exinanita, sive potius ex metaphysicae subtilitate extensione omni spoliata. Quare extante iam natura, ubi sunt diversi generis extensa, quorum alia dura, alia pervia, nulli sunt conatus, sed veri motus.

Itaque naturae iam extantis phaenomena non virtute et potestate explicare par est. Iam enim meliorum virtute physicorum illud disserendi genus per studia et aversiones naturae, per arcana eiusdem consilia, quas « qualitates occultas » vocant, iam, inquam, sunt e physicis scholis eliminata. Superest adhuc ex metaphysica id « conatus » vocabulum. Quare quo disserendi genus de rebus physicis omnino perficiatur, e physicorum scholis est ad metaphysicos amandandum.

Nos autem haec ad extremum conficiamus. Natura est motus; huius motus indefinita movendi virtus conatus; quam excitat infinita mens in se quieta, Deus. Naturae opera motu perficiuntur, conatu incipiunt fieri; ut rerum geneses motum, motus conatum, conatus Deum sequatur.

## IV

### Motus omnes compositos

Compositae rei compositus modus — ut figura — locus — tempus — Promiscuus Latinis « loci » ac « temporis » particularum usus — Motus — Motus nullus rectus — Rectum, et idem res metaphysicae, res physicae pravum, et aliud — Ut curva linea ex innumeris rectis, ita motus ex indefinitis conatibus constat — Nullus motus in vano, quia nulla in vano vicinia — Idem est fingere corpus per inane moveri, et spacia imaginaria comminisci — Ideo constant corpora, quia moventur in pleno — « Nihil » et « recte » cur Latinis opposita.

Compositae rei modum compositum esse necesse est. Nam, si modus res ipsa est ita se habens, et res extensa partes habet; modus rei extensae sunt plures res, quae ita disponuntur. Et vero figura modus compositus est, nam tribus minimum lineis constat; modus compositus locus, nam tribus constat dimensionibus; modus compositus situs, is enim est plurium locorum ratio; modus compositus tempus, nam duo loci sunt, quorum alter stat, alter movetur. Quod et ipsum norunt auctores Latinae linguae, quibus promiscuus particularum usus, et quibus locus et quibus tempus significatur: ut illa « ibi » pro « tunc », « inde » pro « postea », « usquam », « nusquam » pro « unquam », « nunquam », et si quae sunt eius generis aliae. Ad haec exempla compositus motus, nam « unde », « qua, » et « quo » constat.

Tum quia omnes motus aëris circumpulsu fiunt simplices, rectique esse nullo pacto possunt. Et quod corpora, sive per aërem decidentia, sive per aequor, sive terrae, sive maris progredientia, lineam rectam describere videantur, ea tamen reipsa recta non est. Nam « rectum » et « idem » res metaphysicae sunt. Idem ipse mihi videor; sed perenni accessu et decessu rerum, quae me intrant, a me exeunt, quoquo temporis momento sum alius. Sic quoque rectus qui videtur motus omni temporis momento pravus est.

At, si quis haec ex geometria spectet, facile metaphysica cum physicis componet. Nam ea una est verior hypothesis, qua ex metaphysica in physicam descendamus. Ut enim pravae lineae componuntur ex rectis; quare circulares ex indefinitis rectis constant, quia constant punctis indefinitis; ita compositi extensorum motus ex simplicibus punctorum conatibus componuntur. Prava sunt in natura et imperfecta, supra naturam rectum, pravorum regula.

Sed extensorum conatus ad rectos motus hodie eo firmatur, quod, si corpus libere, hoc est per non obstantia moveretur, recta quidem et in immensum moveretur. Sed id fingere primo prohibet quod qui id fingunt motum definiunt viciniae corporum mutatione. Quaenam autem vicinia in vano? Dixerit quis viciniam loci, unde primo motum est corpus, spectandam esse. Sed, si id spectetur, quo pacto illud immensum? An in immenso quid vicinius? quid longius? Si iste id fateatur, quid a Scholastico distat, qui spacia imaginaria proponit? Nam eiusdem mentis est ab ultima summi coeli superficie inane spacium imaginari, et confingere a loco unde primo corpus motum est, id longius longiusque per immensum inane promoveri. Deinde id fingere natura omnino non patitur. Etenim ideo constant corpora, quia moventur in pleno; et ideo plus minusve constant, quia plus minusve obsistunt aliis, ipsisque ab aliis obsistitur. Quae obsistentia nisi sit, nedum non moveretur, neque recta, neque adeo in infinitum; sed ut, si ex loco subduceretur omnis contentus aër, loci parietes compingerentur, ita corpus in inane eductum dissiparetur.

Norunt id verum sapientes linguae Latinae auctores, recta metaphysica, physica prava esse; cum Latini, religionis caussa, « nihil » ab opposito « recte » dicant: quasi nihilo opponatur rectum, exactum, perfectum, infinitum; et finita, prava, imperfecta sint pene nihil.

## V

### Extensa inquieta

Quies res metaphysica est, physica motus — Compositum esse moveri est — Vita rerum fluminis instar — Forma physica est continens rei mutatio — Perfecta quies in natura non est.

Quies res metaphysica est, physica motus. Et fingere corpus ex se integrum, seu, ut aiunt, « indifferens » ad movendum quiescendumque, id physica non sinit. Neque enim licet fingere quid in natura et extra naturam simul. Natura enim motus est, quo res componuntur, vivunt dissolvunturque; et in omni temporis momento aliud nobiscum componitur, aliud a nobis dissolvitur. Quare compositum esse moveri est. Motus enim est viciniae seu situs mutatio: nunquam non corpora corporibus vicina situm mutant: semper corpora effluunt, semper influunt· et haec est vita rerum, fluminis nempe instar, quod idem videtur, et semper alia atque alia aqua profluit. Quare nihil in natura hanc corporum viciniam, seu eundem situm, vel momento quidem temporis obtinet.

Et illud placitum: quod res pergant obtinere formam, qua semel praeditae sunt, Scholas decet, quae ista tutoria naturae consilia in rerum naturalium caussis habent. Nam sane quae cuiusque rei naturalis propria forma est, cum omni temporis momento ei accedat aliquid, vel decedat? Quare forma physica nihil aliud nisi continens rei mutatio est. Igitur ista perfecta quies omnino e physica est procul eliminanda.

## VI

### Motus incommunicari

Motum communicari penetrari corpora est — Motus communicatio et attractio eadem videtur — Omnis motus impulsu nascitur — Deus omnis motus author — In nobis est motus determinatio — Communis omnium motuum machina aëris circumpulsio — Motus communis aëris, ut evadit cuiusque proprius — Omnes motus ex impulsu locales, et unius modi.

Motus nihil aliud est nisi corpus quod movetur; ac, si pro severiori metaphysica loqui velimus, non tam quid est, quam cuius. Nam modus corporis est, qui a re, cuius est modus, nec mente quidem secernitur. Quare tantundem est motum communicari, quantum corpora penetrari.

Nec sane minori reprehensione dignum videtur hoc placitum, motum a corpore in corpus communicari, quam illud de attractionibus motibusque, qui ob fugam vacui vulgo Scholarum obtinet: nam tantundem mihi videtur corpus proiectum secum ferre omnem manus proiicientis impulsum, quantum aërem in antlia haustum post se aquam sursum attrahere. Iam virtute physicae melioris per praeclarissima experimenta istae attractiones veri aëris circumpulsus comperti sunt: et in id placitum constantissime itur, motum omnem impulsu nasci. In hos scopulos impingit, qui extensa quaedam quiescere putet.

Sed qui omnia perenni motu moveri, et nullam esse in natura quietem intelligit, is corpus, quod quiescere videtur, manus impulsu non excitari ad motum, sed ad alium motum determinari; nec nostrum esse movere quicquam, sed Deum omnis motus authorem, eumque excitare conatum; conatum autem incipere motum; motus vero in nobis esse determinationem; ac determinationes alias ex alio machinarum generi fieri; et communem omnium motuum machinam

aërem, et circumpulsionem esse sensibilem Dei manum, qua omnia moventur; singula vero quaeque aliter atque aliter moveri, peculiari machina quodque sua conficiet. Et si omnis motus localis est, et impulsu nascitur, nullum sane discrimen admiserit motum inter quo aqua syphonem subit, quae omni procul dubio aëris manu in syphonem effertur, et quo proiecta per patentem aërem promoventur. Quin nec inter proiectorum motum, et motum quo flamma ardet, planta adolescit, bestia per prata lascivit, quicquam differre iudicabit. Omnes enim sunt aëris circumpulsus: et uti peculiarium ope machinarum communis aëris motus, motus flammae, plantae, bestiaeque fit proprius, ita evadit proprius proiectorum. Certe calor, quem pila pro motu concipit, ei non est a manu communicatus: et tamen is calor certo certius est pilae proprius. Quid autem calor nisi motus? Igitur manus est machina peculiaris proiectus, qua et determinantur nervi, qui sunt in motu ad manus intentionem; et determinatur corpus, quod est in motu ad aliter se movendum: et determinatur aër circumfusus, qui in motu quoque est, ad promovendum proiectum: et haec machina communis, nempe aëris circumpulsio, evadit propria corporis proiecti: quare proprius eius est calor, et saepe ignis.

## CAPUT V

### I

### De animo et anima

Anima vivimus, animo sentimus — Aër « anima » dictus — Aër sanguinis vitae vehiculum — Aër nervorum vehiculum sensus — Spiritus vitalis inertior, animalis actuosior — Motus sanguinis nervis debetur — « Animus immortalis », non « anima » Latinis dicta.

Elegantia duûm horum verborum « animus » et « anima », quod anima vivamus, animo sentiamus, tam scita est, ut T. Lucretius eam veluti in Epicuri hortulo natam vindicet suam. Sed et observandum Latinos « animam » quoque aërem appellasse, quem omnium mobilissimum esse constat; et nos supra disseruimus unum esse, qui motu omnibus communi movetur, et deinde peculiarium ope machinarum evadit cuiusque proprius. Hinc igitur coniicere datur antiquos Italiae philosophos aëris motu animum et animam definivisse. Et vero vitae vehiculum aër est, qui inspiratus et transpiratus cor et arterias, et in corde arteriisque sanguinem movet, qui sanguinis motus est ipsa vita. Sensus autem vehiculum est aër, qui per nervos insinuatus eorum succum agitat, et fibras distendit, inflat, contorquet. Nunc in Scholis aër, qui in corde et arteriis sanguinem movet, « spiritus vitales »; qui autem nervos eorumque succum et filamenta, « spiritus animales » appellantur. Atqui longe celerior est animalis quam vitalis spiritus motus; ubi enim velis, statim digitum moveas: sed multo tempore, saltem horae trientis, ut quidam physici rationem ineunt, a corde ad digitum sanguis circulatione

perveniat. A nervis praeterea cordis musculi contrahuntur et dilatantur, qua systole et diastole sanguis perpetuo movetur; unde sanguis suum nervis motum accepto referre debet. Igitur hunc masculum strenuumque per nervos aëris motum, « animum »; effoeminatum et succubum, ut ita dicam, in sanguine, « animam » dixerunt.

Cum autem de immortalitate Latini loquebantur, eam « animorum », non « animarum » dicebant. An eius locutionis origo sit, quia eius auctores animi motus liberos et ex nostro arbitrio, motus autem animae non sine corporis, quod corrumpitur, machina gigni animadverterent; et, quia libere animus movetur, infinitum desiderat, ac proinde immortalitatem. Quae ratio tanti momenti est, ut metaphysici etiam Christiani hominem per arbitrii libertatem a brutis distingui putaverint. Certe Ecclesiae patres hominem immortali animo factum, et propter Deum immortalem factum, hinc praecipue confirmant, quod appetit infinitum.

## II

### De anima brutorum

« Brutum » Latinis « immobile » — Bruta a praesentibus obiectis tamquam machina moventur.

Congruit cum his, quae modo disseruimus, ea locutio, qua Latini animantia rationis expertia dixere « bruta »; brutum autem iisdem idem ac « immobile » significabat; et tamen bruta moveri videbant. Necesse igitur est antiquos Italiae philosophos id opinatos, bruta, quod non nisi a praesentibus moveantur, ea immobilia esse, et ab obiectis praesentibus, veluti per machinam moveri; homines autem principium internum motus habere, nempe animum, qui libere moveatur.

## III

### De animi sede

Latini in corde prudentiam collocarunt — « Acetum pectoris » — « Cor hominis! » — « Excors » — « Vecors » — « Cordatus » — « Corculum » — De nervorum origine antiquorum opinio — Cur videamur in capite cogitare — An sedes animae in glandula pineali — Homines cerebro deminuti recte usi ratione — Mechanica refragatur mentem in capite corpori praesidere — In plantis vitae sedes in semine — Cor primum generatur, novissimum interit — An in corde principium vitae, et in principio vitae principium rationis? — « Animo deficere », « male habere » — Sapiens quis — « Mens animi » — Fomites affectuum appetitus duo — Appetituum sedes et vehicula — Ab animo pendere mentem — Utra tutior cautio ad vera meditanda, affectus exuere, an praeiudicia.

Animi sedem et domicilium antiqua Italiae philosophia cor esse opinata est; nam Latini vulgo in corde prudentiam collocatam, et in corde versari consilia et curas, et in pectore inveniendi acumen, seu, ut Plautine loquar, « e pectore acetum », hoc est ingenium promi loquebantur: et illae praeterea locutiones, « cor hominis! » et « excors » pro stupido, « vecors » pro demente, « socors » pro tardo ad cogitandum; contra « cordatus » pro sapiente; unde P. Scipio Nasica « Corculum » dictus, quia Romanorum omnium sapientissimus oraculi sententia iudicatus. An haec, quia cum reliqua antiquitate Italica secta consenserit, a corde nervorum originem duci? Et quod nobis videamur in capite cogitare, quia in capite sunt organa duûm sensuum, quorum alter est omnium maxime disciplinabilis, nempe auditus; visus alter, qui omnium est maxime acerrimus?

Sed de origine nervorum a corde opinio per nostri temporis anatomen iam falsa comperta est: ii enim a cerebro tamquam a stirpe per totum corpus diffundi observantur. Quare in glandula pineali animum humanum veluti in specula Carthesiani collocant, et inde omnes corporis motus per nervos excipere,

et per motus obiecta speculari opinantur. Atqui saepe homines cerebro deminuti, et vivere, et moveri, et sentire, et ratione feliciter uti observatum.

Sed et in corporis parte, ubi plurimum mucoris, sanguinis minimum, ac proinde crassa tardaque sedere animum verisimile non videtur. Mechanica enim in horologio docet rotas, quas spiritus proxime movet, omnium tenuissimas ac mobilissimas esse: et in plantis vitae sedes in semine est, et inde per truncum in ramos, et per stirpem in radices diffunditur. An igitur, quia cor primum omnium in generatione animantis extare, salire, ultimum in morte motu et calore destitui observabant? An quia in corde vitae flammam ardere opinarentur? An quia cum quis deliquio intercipitur, qui cordis morbus est, quem nos Itali vertimus « *svenimento di cuore* », non solum nervorum, sed etiam sanguinis motum cessare viderent, eum « animo deficere » et « animo male habere » putarent ac dicerent? et in corde principium animae seu vitae, et in eo principium animi seu rationis esse arbitrarentur? An quia sapiens est qui vera cogitat et iusta vult, hinc in affectibus animum, in animo mentem posuerunt, quam proinde mentem animi appellaverunt?

Certe fomites omnium animi perturbationum seu affectuum sunt concupiscibilis et irascibilis appetitus: et sanguis concupiscentiae, bilis irae vehiculum esse videtur; utriusque liquoris sedes in praecordiis praecipua. Itaque ab animo pendere mentem putarint, quia ut quisque est animatus ita cogitat, de iisdem enim rebus pro diversis studiis alii aliter sentiunt.

Ut tutior cautio sit ad vera meditanda exuere affectus rerum pene dixerim, quam praeiudicia: praeiudicia enim nunquam deleas, manente affectu; at, affectu restincto, detrahitur rebus persona, quam iis nos imposuimus, et ultro res ipsae manent.

## IV

### De scepsi civili Romanorum

Formulae « censendi », « iudicandi » « iurandique » Romanorum.

An ideo Romani suas sententias per verba « videri », « parere » et iuramenta « ex animi » quisque « sui sententia » concipiebant, quia neminem de se animum affectu vacuum praestare posse arbitrabantur, et iudicandi ac iurisiurandi religio erat, ne, rebus aliter se habentibus, peierarent?

## CAPUT VI

### De mente

« Mens » Latinis idem ac nobis «*pensiero*» — « Mentem a diis dari » — Ideas a Deo in hominum animis creari — « Mens animi » — Intellectus agens Aristotelaeorum — Sensus aethereus Stoicorum — Daemon Socraticorum — Malebrancii doctrina arguitur — Deus omnis motus primus auctor — Unde mala? — Qui arbitrium hominis liberum? — In ipsis errorum tenebris lucet Deus — Cur metaphysica agit de indubio vero.

« Mens » Latinis idem quod nobis « *pensiero* »; et ab iisdem « mens » hominibus « a diis dari », « immitti » dicebatur. Par igitur est ut qui has locutiones excogitarint, ideas in hominum animis a Deo creari excitarique sint opinati; ac proinde « animi mentem » dixerint; et ad Deum liberum ius et arbitrium animi motuum retulerint, ut « libido », seu facultas quaeque desiderandi, « sit suus cuique Deus ». Qui peculiaris cuiusque Deus intellectus agens Aristotelaeorum, sensus aethereus Stoicorum, et Socraticorum daemon esse videatur. Qua de re subtilissimi huius tempestatis metaphysici multa ingeniosissime dissertarunt.

Verum si haec acerrimus Malebrancius vera esse contendit, miror quomodo in primum Renati Carthesii verum concedat: « Cogito, ergo sum »: cum ex eo, quod Deus in me ideas creat, conficere potius debeat: « Quid in me cogitat; ergo est: in cogitatione autem nullam corporis ideam agnosco; id igitur quod in me cogitat, est purissima mens, nempe Deus ». Nisi forte mens humana ita sit comparata, ut cum ex rebus, de quibus omnino dubitare non possit, ad Dei Opt. Max. cognitionem pervenerit, postquam eum norit, falsa agnoscat vel ea, quae omnino habebat indubia. Ac proinde ex genere omnes ideae de rebus creatis prae idea summi

Numinis quodammodo falsae sint, quia de rebus sunt, quae ad Deum relatae non esse ex vero videntur: de uno autem Deo idea vera sit, quia is unus ex vero est. Adeo ut Malebrancius, si constare doctrina vellet, docere debuisset mentem humanam, nedum corporis, cuius mens sit, sed vel sui ipsius a Deo cognitionem induere; ita ut nec se quoque agnoscat, nisi in Deo se cognoscat. Mens enim cogitando se exhibet: Deus in me cogitat; in Deo igitur meam ipsius mentem cognosco. Sed haec esset Malebrancicae doctrinae constantia.

Quod autem in nobis recipimus illud est, quod Deus omnium motuum, sive corporum sive animorum, primus Auctor. Sed heic illae syrtes, illi scopuli: quonam pacto Deus mentis humanae motor, et tot prava, tot foeda, tot falsa, tot vicia? quonam pacto in Deo veracissima et absolutissima scientia, et in homine liberum rerum agendarum arbitrium? Certo scimus Deum omnipotentem, omniscium, optimum; cuius intelligere, verum; cuius velle, bonum; cuius intelligere, simplicissimum et praesentissimum; cuius velle, defixum et ineluctabile. Quin immo, ut Sacra docet pagina, «nemo nostrum potest ad Patrem ire, nisi Pater idem traxerit». Quomodo trahit, si volentem trahit? En Augustinus: «Non solum volentem, sed et lubentem trahit, et voluptate trahit». Quid aptius et divinae voluntatis constantiae et nostri arbitrii libertati? Hinc fit quod in ipsis erroribus Deum aspectu non amittimus nostro: nam falsum sub veri specie, mala sub bonorum simulacris amplectimur: finita videmus, nos finitos sentimus; sed id ipsum est, quod infinitum cogitamus: motus a corporibus excitari, a corporibus communicari nobis videre videmur; sed eae ipsae motus excitationes, eae ipsae communicationes Deum, et Deum mentem, motus authorem asserunt et confirmant: prava ut recta, multa ut unum, alia ut idem, inquieta ut quieta cernimus: sed cum neque rectum, neque unum, neque idem, neque quietum sit in natura; falli in his rebus nihil aliud est, nisi homines vel imprudentes, vel falsos de creatis rebus, in his ipsis imitamentis Deum Opt. Max. intueri.

Ideo metaphysica de indubio vero tractat; quia de argumento est, de quo si vel dubites, si vel erres, si vel fallaris, certus fias.

# CAPUT VII

## I

### De facultate

« Facilitas » unde dicta — « Animae facultates » eleganter in Scholis dictae. — Facultates sunt eorum, quae facimus — Sensus externi — « Olent » res, « olfaciunt » homines — Phantasia — Sensus internus — Intellectus verus — Arithmetica, geometria et mechanica sunt in hominis facultate — Physica in facultate Dei — Vera facultas in Deo — Ut vere omnia sunt «*pensieri di Dio*».

« Facultas » dicta quasi « faculitas », unde postea « facilitas », quasi sit expedita, seu exprompta faciendi solertia. Igitur ea est facilitas, qua virtus in actum deducitur. Anima virtus est; visio actus: sensus videndi facultas. Quare satis eleganter Scholae loquuntur, cum sensum, phantasiam, memoriam, intellectum « animae facultates » dicunt; sed elegantiam inquinant, cum colores, sapores, sonos, tactus in rebus esse opinantur. Nam, si sensus facultates sunt, videndo colores, sapores gustando, sonos audiendo, tangendo frigida et calida, rerum facimus. Eius antiquorum Italiae philosophorum sententiae integrum in verbis « olere » et « olfacere » vestigium extat: res enim « olere », animans « olfacere » dicitur, quod animans odorem olfactu faciat.

Phantasia certissima facultas est, quia dum ea utimur rerum imagines fingimus. Sensus internus item: nam advertendo vulnus, qui pugna excedunt, dolorem sentiunt. Ad haec exempla intellectus verus facultas est, quo, cum quid intelligimus, id verum

facimus. Igitur arithmetica, geometria, earumque soboles mechanica sunt in hominis facultate; quia in iis ideo demonstramus verum, quia facimus. Physica autem in facultate Dei Opt. Max. sunt, in quo uno vera facultas est, quia expeditissima et exprомptissima est: ut quae in homine facultas est, ea in Deo purissimus actus sit.

Atque haec dissertata illud consequitur, quod quemadmodum homo intendendo mentem modos rerum, earumque imagines, et verum humanum gignat, ita Deus intelligendo verum divinum generet, verum creatum faciat. Ita ut quod nos vernacula lingua improprie dicimus statuas et picturas «*pensieri degli autori*», id proprie de Deo dicatur esse omnia quae sunt «*pensieri di Dio*».

## II

### De sensu

Latinis omnia mentis opera « sensus » — Et haec erat Ethnica metaphysica — Contrarium docet metaphysica Christiana.

Latini « sensus » appellatione non solum externos, ut sensus vivendi, ex. gr., et internum, qui « animi sensus » dicebatur, ut dolorem, voluptatem, molestiam, sed iudicia, deliberationes et vota quoque accipiebant: « ita sentio », ita iudico; « stat sententia », certum est; « ex sententia evenit », uti desiderabam; et in formulis illud: « ex animi tui sententia ». An igitur, quia antiqui Italiae philosophi opinati sint mentem humanam nihil percipere nisi per sensus, ut Aristotelaei; vel eam non nisi sensum esse, ut Epicuri asseclae; vel rationem sensum quendam aethereum ac purissimum, ut Platonici Stoicique existimarunt? Et vero Ethnicarum sectarum nulla, quae mentem humanam omni corpulentia puram agnorunt. Et ideo omne mentis opus sensum esse putarint; hoc est quicquid mens agat, vel patiatur, corporum tactus sit. Sed nostra religio eam prorsus incorpoream esse docet: et nostri metaphysici confirmant, dum a corporibus corporea sensus organa moventur, per eam occasionem moveri a Deo.

## III

### De memoria et phantasia

« Memoria » quid — Quid « reminiscentia » — « Phantasia » eadem ac « memoria » Latinis — Homini fingere nihil praeter naturam datur — Cur musae Memoriae filiae.

« Memoria » Latinis, quae in sua penu per sensus percepta condit, quae « reminiscentia », dum promit, appellatur. Sed et facultatem, qua imagines conformamus, et « phantasia » Graecis, et nobis « *imaginativa* » dicta est, significabat: nam quod nos vulgo « imaginari », Latini « memorare » dicunt. An quia fingere nobis non possumus nisi quae meminimus, nec meminimus nisi quae per sensus percipiamus? Certe nulli pictores, qui aliud plantae aut animantis genus, quod natura non tulerit, pinxerunt unquam: nam isti hyppogryphes et centauri sunt vera naturae falso mixta. Nec poëtae aliam virtutis formam, quae in rebus humanis non sit, excogitarunt; sed de medio lectam supra fidem extollunt, et ad eam suos heroas conformant. Quare musas Graeci, quae phantasiae virtutes sunt, Memoriae filias esse suis fabulis tradiderunt.

## IV

### De ingenio

« Ingenium » quid — « Acutum » et « obtusum » unde dictum — « Ingenium » et « natura » idem — Ingenium propria hominis natura — Unus homo videt rerum commensus seu proportiones — Deus naturae artifex, homo artificiorum Deus — Cur « scitum » pro « pulchro » dictum — Cur geometria et arithmetica scientiarum exploratissimae — « *Ingegneri* » cur sic dicti.

« Ingenium » facultas est in unum dissita, diversa coniungendi: id « acutum » Latini, « obtusumve » dixerunt: utrumque ex geometriae penetralibus; quod acutum celerius penetrat, et diversa, tamquam duas lineas in puncto infra angulum rectum, propius uniat; obtusum vero, quia tardius res intrat, et res diversas, uti duas lineas in puncto unitas extra rectum angulum longe dissitas a basi relinquat. Et ita obtusum ingenium sit quod serius, acutum quod ocius diversa coniungat. Porro « ingenium » et « natura » Latinis idem: an quia humanum ingenium natura hominis sit; quia ingenii est videre rerum commensus, quid aptum sit, quid deceat, pulchrum et turpe, quod brutis negatum? An quia ut natura gignit physica, ita ingenium humanum parit mechanica, ut Deus sit naturae artifex, homo artificiorum Deus? Certe unde scientia, et inde « scitum »: quod non minus eleganter « *ben inteso* » et « *aggiustato* » Itali vertunt. An quod scientia ipsa humana nihil aliud sit nisi efficere, ut res sibi pulchra proportione respondeant, quod uni ingeniosi praestare possunt? Et ideo geometria et arithmetica, quae haec docent, sunt scientiarum exploratissimae; et qui in earum usu excellunt, « *ingegneri* » Italis appellantur.

## V

### De certa facultate sciendi

Tres mentis operationes: perceptio, iudicium, ratiocinatio — Tribus artibus diriguntur: topica, critica, methodo — Cur antiquis nulla peculiaris methodi ars — Methodo geometrica nec consilia instituenda — nec oratio civilis dispensanda — Ciceronis ordo dicendi — Demosthenes perturbatus — Et in perturbato dicendi ordine omnis eloquentiae Demosthenicae vis continetur — Methodus non est quarta mentis operatio, sed ars tertiae — Omnis antiqua dialectica in topicam et criticam divisa — Critica Carthesiana sine topica certa non est — Praedicamenta et topica Aristotelis qua ratione utilia ad inveniendum — Artes sunt literariae reipublicae leges — Cur divisae inter Graecos topica et critica — Propria sciendi facultas ingenium — In homine a puero sese exerit — Quid sit sensus communis — Similitudo mater omnis inventionis — « Argumentum » cur ita dictum — « Arguti » qui — Quid autem ingenium — Inventio ingenii, et opera, et opus — Antiquissima dialectica, inductio, et collatio similium — Quid syllogismus — Quid sorites — Quae disserendi ratio subtilis, quae acuta — Methodus geometrica cur in geometria utilis ad inveniendum — Extra geometrica utilis ut disponamus inventa — Non methodus geometrica, sed demonstratio in physicam importanda — Geometria quando acuit ingenium — Synthesis invenit, analysis facit vera — Phantasia ingenii oculus, ut iudicium est oculus intellectus.

Quae meditata disquirendi occasionem faciunt, quae sit propria homini facultas ad sciendum data. Homo enim percipit, iudicat, ratiocinatur: sed saepe percipit falsa, saepe temere iudicat, perperam saepe ratiocinatur. Graecae philosophorum sectae has homini ad sciendum facultates datas opinatae sunt, et sua quamque dirigi arte: facultatem nempe percipiendi topica, iudicandi critica, ratiocinandi denique methodo. De methodo autem nulla in suis dialecticis praecepta tradiderunt; quia eam satis superque pueri usu ipso, dum darent geometriae operam, ediscebant. Extra geometriam antiqui ordinem putarunt prudentiae committendum, quae nulla dirigitur arte; et quia nulla

dirigitur arte, prudentia est. Nam soli artifices praecipiunt ut alia primo, alia secundo, alia alio loco disponas: quae ratio non tam prudentem, quam fabrum aliquem format.

Et vero, si methodum geometricam in vitam agendam importes,

> nihilo plus agas,
> quam si des operam ut cum ratione insanias:

et tamquam in rebus humanis non regnarent libido, temeritas, occasio, fortuna, per amfractus vitae recta pergas. Methodo autem geometrica orationem civilem disponere, idem est ac nihil in orationem acutum admittere, nec nisi ante pedes posita commonstrare; auditoribus tamquam pueris nihil nisi praemansum in os ingerere, et, ut uno verbo complectar, in concione pro oratore doctorem agere. Et sane demiror qua ratione isti, qui tantopere in oratione civili methodum geometricam commendant, unum Demosthenem in eloquentiae exemplum proponant. Iam, si ita diis placet, Cicero confusus, inconditus, perturbatus: in quo tantum ordinem hactenus doctissimi viri tantamque dispositionis contentionem admirantur, ut prima quae dicit, se pandere quodammodo, et secunda excipere animadvertant; ita ut quae posteriore loco dicit, non tam ab eo dici, quam ex rebus ipsis prodire et fluere videantur. At hercule Demosthenes quid aliud totus est nisi hyperbata, ut recte Dionysius Longinus, omnium rhetorum iudiciosissimus, notat? Cui ego illud addiderim, quod in eius perturbato dicendi ordine omnis enthymematica dicendi vis tamquam catapulta intendatur. Is enim de more proponit argumentum, ut moneat auditores qua de re agat: mox in rem, quae nihil cum re proposita commune videtur habere, excurrit, ut auditores quodammodo alienet ac distrahat: ad extremum similem rationem inter id quod assumit et quod proposuit intendit, ut eius eloquentiae fulmina eo cadant, quo magis improvisa, graviora.

Neque sane putandum omnem antiquitatem manca ratione usam esse, quod hanc quartam, ut nunc numerant, mentis operam non agnoverint. Non enim ea quarta mentis operatio est, sed ars tertiae, qua ratiocinia ordinantur. Itaque omnis

antiqua dialectica in artem inveniendi et iudicandi divisa est. Sed Academici toti in illa inveniendi, in illa iudicandi toti Stoici fuerunt. Utrique prave: neque enim inventio sine iudicio, neque iudicium sine inventione certum esse potest. Etenim quonam pacto clara ac distincta mentis nostrae idea veri regula sit, nisi ea, quae in re insunt, ad rem sunt affecta, cuncta perspexerit? Et quanam ratione quis certus sit omnia perspexisse, nisi per quaestiones omnes, quae de re proposita institui possunt, sit persecutus? Principio per quaestionem an sit, ne de nihilo verba faciat; deinde per eam quid sit, ne de nomine contendatur; tum quanta sit, sive extensione, sive pondere, sive numero; porro qualis, et heic contemplari colorem, saporem, mollitudinem, duriciem, et alia tactus; praeterea quando nascatur, quamdiu duret et in quae corrumpatur; et ad hoc instar per reliqua praedicamenta conferre, et cum omnibus rebus, quae ei sunt quodammodo affectae, componere; sive sint caussae, ex quibus nascatur, sive quae producat effecta, sive quid operetur, cum re simili, dissimili, contraria, maiore, minore, pari collata.

Itaque Praedicamenta Aristotelis, et Topica, si quis in iis quid novi invenire velit, inutillima sunt; et Lullianus aut Kirkerianus evadat, et similis eius fiat, qui scit quidem literas, sed eas non colligit, ut magnum librum naturae legat. At, si tamquam indices et alphabeta habeantur quaerendorum de re proposita, ut eam plane perspectam habeamus, nihil ad inveniendum feracius: ut ex iisdem fontibus, ex quibus copiosi oratores et observatores etiam maximi provenire possint. Vicissim, si quis in clara ac distincta mentis idea rem perspexisse confidat, facile fallatur, et saepe rem distincte nosse putaverit, cum adhuc confuse cognoscat; quia non omnia, quae in re insunt, et eam ab aliis distinguunt, cognovit. At, si critica face locos topicae omnes perlustret, tunc certus erit se rem clare et distincte nosse; quia per omnes quaestiones, quae de re proposita institui possunt, rem versavit; et per omnes versasse topica ipsa critica erit. Artes enim sunt quaedam literariae reipublicae leges: nam sunt omnium doctorum virorum animadversiones naturae, quae in regulas disciplinarum abierunt. Ita qui ex arte rem facit, is cum

omnibus doctis se sentire certus est: sine arte facile fallitur, quia suae unius naturae fidit. Et quidem tu, sapientissime Paulle, haec ipsa censes, qui, dum tuum principem instituis, non eum praecipis recta ad criticam artem contendere; sed diu multumque exemplis imbui, priusquam artem de iis iudicandi erudiatur. Id quorsum, nisi ut prius afflorescat ingenium, deinde arte iudicandi excolatur? Hoc dissidium inventionis et iudicii non aliunde inter Graecos ortum, nisi quod facultatem sciendi propriam non attenderunt. Ea enim ingenium est, quo homo est capax contemplandi ac faciendi similia. Nos quidem in pueris, in quibus natura integrior est et minus persuasionibus seu praeiudiciis corrupta, primam facultatem se exerere videmus, ut similia videant; unde omnes viros « patres », foeminas omnes « matres » appellant, et similia faciant,

> Aedificare casas, plostello adiungere mures,
> ludere par impar, equitare in harundine longa.

Similitudo autem morum in nationibus sensum communem gignit. Et qui de rerum inventoribus scripserunt, tradunt artes omnes omniaque commoda, quibus ab artificiis genus humanum ditatum est, aut forte fortuna, aut similitudine aliqua, quam vel bruta animantia commonstrarint, aut homines sua excogitaverint industria, inventa esse.

Haec, quae hactenus diximus, Italicam sectam novisse id linguae vestigium docet, quod ratio, quae in Scholis « medius terminus » dicitur, « argumen » sive « argumentum » appellarint. « Argumen » autem inde unde et « argutum », seu acuminatum. « Arguti » autem sunt, qui in rebus longe dissitis ac diversis similem aliquam rationem, in qua sint cognatae, animadvertunt, et ante pedes posita transiliunt, et a longinquis locis repetunt commodas rebus, de quibus agunt, rationes: quod specimen ingenii est, et « acumen » appellatur. Unde ingenio ad inveniendum necesse est: cum ex genere nova invenire unius ingenii et opera et opus sit.

Quae cum ita se habeant, verisimilis coniectura est antiquis Italiae philosophis nec syllogismum, nec soritem probari,

sed inductione similium in disserendo usos esse. Et ratio temporum id suadet: nam antiquissima omnium dialectica erat inductio; et collatio similium, qua ultimus Socrates usus est; postea syllogismo Aristoteles, sorite Zeno disseruerunt. Et vero qui syllogismo utitur, non tam diversa coniungit, quam speciem sub genere positam ex ipsius sinu generis explicat: qui utitur sorite, caussas caussis, cuique proximam attexit: quorum qui alterutrum praestat, non tam duas lineas in angulum infra rectum coniungere, quam unam lineam producere; et non tam acutus, quam subtilis esse videatur: quamquam qui sorite quam qui syllogismo utitur, tanto subtilior est, quanto crassiora sunt genera quam cuiusque rei caussae peculiares. Soriti Stoicorum geometrica Renati methodus respondet. Sed ea in geometria utilis, quia eam geometria patitur: ubi et definire nomina, et postulare possibilia licet. Sed ea, ab argumento trium mensurarum et numerorum abducta, et in physicam importata, non tam utilis est ut nova inveniamus, quam ut ordine disponamus inventa. Tu ipse, Paulle doctissime, id mihi firmaveris. Nam quid est, quod alii bene sane multi istam methodum callent, nec quae tu, praeclarissime, cogitas, apti sunt invenire? Tu vero, natu grandior, ad interiores literas animum appulisti; vitam in iudiciis de ingenti re pecuniaria cum principibus et magnae potentiae viris, necessariis tuis, exercitam habuisti; omnia viri liberalis officia hoc saeculo usque ad moram officioso, et interdiu et ad multam noctem obis; et tantum brevi profeceris, quantum vix alius in hisce studiis omnem aetatem abditus proficere potuisset. Vide ne tua modestia id methodo accepto referas, quod est divini ingenii tui beneficium.

Concludamus ad extremum non methodum geometricam in physicam, sed demonstrationem ipsam importandam. Maximi geometrae principia physicae ex principiis matheseos spectarunt, ut ex antiquis Pythagoras, Plato, ex recentioribus Galilaeus. Ita peculiaria naturae effecta peculiaribus experimentis, quae sint peculiaria geometriae opera, explicare par est. Id curarunt in nostra Italia maximus Galilaeus et alii praeclarissimi physici; qui antequam methodus geometrica in physicam

importaretur, innumera et maxima naturae phaenomena hac ratione explicarunt. Id curant unum sedulo Angli et ob id ipsum physicam methodo geometrica publice docere prohibentur. Ita physica provehi potest. Idque adeo in dissertatione *De nostri temporis studiorum ratione*, physicae incommoda ingenii cultu vitari posse innui; quod aliquis methodo occupatus forte miratus sit. Nam methodus ingeniis obstat, dum consulit facilitati; et curiositatem dissolvit, dum providet veritati. Nec geometria acuit ingenium, cum methodo traditur, sed cum vi ingenii per diversa, per alia, multiiuga, disparata in usum deducitur. Et ideo non analytica, sed synthetica via eam edisci desiderabam; ut componendo demonstraremus, hoc est ne inveniremus vera, sed faceremus. Invenire enim fortunae est, facere autem industriae: et ob id ipsum neque per numeros, neque per species, sed per formas eam tradi desiderabam; ut si minus ingenium inter ediscendum excoleretur, phantasia firmaretur tamen, quae ita est ingenii oculus, ut iudicium est oculus intellectus. Et vero Carthesiani, quos tu, Paulle, «litera, non spiritu, Carthesianos» eleganter appellas, animadvertere haec possent, quae dicimus, se, quamquam verbis negent, re ipsa: profiteri qui vera ad quorum normam cetera dirigunt, praeter illud, quod a conscientia petunt: « Cogito, ergo sum » non aliunde nisi ab arithmetica et geometria, nempe a vero, quod facimus, mutuantur; et illa celebrant: « sit verum ad hoc instar, ut tria et quatuor faciunt septem, ut trianguli duo anguli ambo sunt tertio maiores »: quod tantundem est, quantum ex geometria physicam spectare; et qui id postulat, re ipsa hoc postulat: « tunc mihi physica vera erunt, cum feceris; ut geometrica ideo hominibus sunt vera, quia faciunt ».

# CAPUT VIII

## I

### DE SUMMO OPIFICE

« Numen », « fatum », « casus », « fortuna ».

Cum his, quae de vero et facto disseruimus, et quod verum sit collectio elementorum ipsius rei, omnium in Deo, extimorum in homine; et verbum mentis proprium in Deo, improprium in homine fiat; et quod facultas sit eorum, quae facimus, et quae solerter et faciliter facimus, haec quatuor Latinorum verba, « numen » et « fatum », « casus » et « fortuna », consentiunt.

## II

### De Numine

Divina bonitas volendo res facit
— Cur poëtae et pictores « divini » dicti — Natura quid.

Deorum voluntatem dixere « numen », quasi Deus Opt. Max. suam voluntatem facto ipso significet, et tanta celeritate et facilitate significet, quam celer et facilis nutus est oculorum. Ita ut quod Dionysius Longinus admiratur de Mose, eum digne divinam omnipotentiam et granditer illa locutione expressisse, « dixit, et facta sunt »; Latini uno verbo utrumque significasse videantur. Divina enim bonitas, volendo res, quas vult, facit, et tanta facilitate facit, ut eae ex seipsis existere videantur. Quare cum Plutarchus Homeri poësim et picturas Nicomachi iccirco laudasse Graecos narret, quod sponte sua orta, non arte ulla facta viderentur; ego puto ab hac fingendi facultate poëtas pictoresque dictos esse « divinos »; ita ut haec divina faciendi facilitas natura sit; in homine autem sit rara et praeclara illa virtus, tam difficilis, quam commendata, nobis dicta « *naturalezza* »: Cicero verteret « genus sua sponte fusum, et quodammodo naturale ».

## III

### De fato et casu

« Dictum ». « Certum ». « Fatum » — « Dictum » « Factum ». « Casus » — Cur fatum inexorabile.

« Dictum » Latinis idem ac « certum »; certum idem ac nobis «determinatum»; «fatum» autem et «dictum» idem; et «factum» et « verum » cum « verbo» convertuntur. Et ipsi Latini, cum quid celeriter effectum datum significare volebant, « dictum factum » dicebant. Ad haec et rerum et verborum exitum « casum » dixerunt. Igitur qui Itali sapientes has voces primi excogitarunt, aeternum caussarum ordinem « fatum », eius aeterni caussarum ordinis eventum « casum » esse sunt opinati: ita ut facta Dei dicta sunt, et rerum eventa verborum, quae Deus loquitur, casus, et fatum idem ac factum: et ideo fatum putarunt inexorabile, quia facta infecta esse non possunt.

## IV

### De Fortuna

« Fortuna » unde — « Fortus » — Fortuna quid — Mundus naturae respublica — Quo sensu fortuna omnium regina.

« Fortuna » sive prospera, sive adversa dicebatur; et tamen «fortuna» ab antiquo « fortus », seu bonus, dicta. Quare postea, ut alteram ab altera separarent, « fortem fortunam » dicebant. Fortuna autem Deus est, qui ex certis caussis praeter nostram spem operatur. An igitur antiqua Italiae philosophia opinata est Deum bonum facere quicquid facit, et omne verum, seu omne factum idem sit bonum. Nos autem prae nostra iniquitate, qua nosmetipsos, non hanc rerum universitatem spectamus, quae nobis adversantur, mala putemus, quae tamen, quia in mundi commune conferunt, bona sunt? Itaque mundus sit quaedam naturae respublica, in qua Deus Opt. Max. commune bonum spectat ut princeps, certum quisque suum uti privatus: et malum privatum sit bonum publicum; et quemadmodum salus populi in republica ab hominibus fundata suprema lex est, ita in hac rerum universitate a Deo constabilita, fortuna omnium regina sit, seu Dei voluntas, qua universi salutem spectans, in privatis omnium bonis, seu peculiaribus naturis dominatur; et uti saluti publicae salus privata loco cedit, ita conservationi universi bonum cuiusque peculiare posthabeatur, atque eo pacto adversa naturae sint bona.

## CONCLUSIO

Operae precium — Summa operis capita.

Habes, sapientissime Paulle Doria, metaphysicam humana imbecillitate dignam, quae homini neque omnia vera permittat, neque omnia neget, sed aliqua; Christianae pietati commodam, quae verum divinum ab humano discernat, neque humanam scientiam divinae, sed divinam humanae regulam proponat; experimentali physicae, quae nunc cum ingenti humani generis fructu excolitur, ancillantem; utpote ex qua id pro vero in natura habeamus, cuius quid simile per experimenta faciamus.

Etenim habes verare et facere idem esse (cap. I, § I): atque inde Deum scire physica, hominem scire mathemata (§ II), et ita neque dogmaticos omnia (§ III); neque scepticos nihil scire (§ IV). Indidem genera ideas esse perfectissimas, ex quibus Deus absolute facit; imperfectas, ex quibus homo ex hypothesi facit vera (cap. II). Ex his ipsis probare a caussis esse ipsum efficere (cap. III). Sed, quia Deus rem quamvis minimam infinita virtute facit, ut existentia actus et res physica est, ita rerum essentiam virtutem ac rem metaphysicam esse, proprium huius doctrinae argumentum (cap. IV, § I). Atque ita esse in metaphysica genus rei quae est virtus extensionis et motus, et iniquis sive extensis, sive motibus aequa subest; idque punctum metaphysicum esse, hoc est rem quamdam, quam ex hypothesi puncti geometrici contemplemur (§ II); atque ipsis geometriae sacris Deum purissimam et infinitam mentem demonstrari; inextensum facere extensa, excitare conatus (§ III), componere motus (§ IV), et quietum (§ V) movere omnia (§ VI). Habes in hominis anima animum

(cap. V), et in animo mentem, et in mente Deum praesidere (cap. VI). Et mentem advertendo facere (cap. VII, § I) ficta, vel ex hipothesi vera humanam, absolute vera divinam (§§ II, III, IV). Hinc ingenium homini ad sciendum seu faciendum datum (§ V). Habes denique Deum (cap. VIII, § I) nutu seu faciendo velle (§ II): fando sive aeterno caussarum ordine facere: quod nos ex ignorantia nostra dicimus casum (§ III), ex nostra utilitate fortunam (§ IV).

Recipe in tuam fidem, rogo, haec Italorum de divinis rebus placita. Tuum enim est, qui ex nobilissima et maximarum rerum gestarum monumentis inclita Italiae familia prognatus es, et metaphysicae cultura doctissimus per Italiam celebraris.

# APPENDICE

## PARERI PER LA STAMPA DEL *DE ANTIQUISSIMA ITALORUM SAPIENTIA*

### I

### Del revisore ecclesiastico

Reverendissimus pater abbas dominus Benedictus Laudati Casinensis videat et referat.

Neapoli, 4 Augusti 1710.

SEPTIMIUS PALUTIUS, vicarius generalis.
D. P. M. Giptius, canonicus deputatus.

Eminentissime Princeps,

Inaccessam usque adhuc novamque metaphysicae methodum iuxta antiquum Italorum sensum ex primitivarum vocum fodinis ab utriusque iuris doctore Io. Baptista de Vico, regio eloquentiae professore, consueta, qua pollet, industria elucubratam, auctoritate Eminentiae Vestrae, diligenter ac animi voluptate examinavi; nihilque in eadem, quod ortodoxae fidei vel Christianorum morum puritatem laedat, deprehendi; quare prae materiae novitate rerumque obscurarum dilucida brevique explicatione opusculum hoc dignum puto, si ita Eminentiae Vestrae placuerit, quod publicis typis mandetur; in eo etenim sapientiae amatores semina non pauca habebunt, ex quibus et aliis, quae vir doctissimus, Deo dante, promittit, faecundiores ad religionis cultum ac opera naturae contemplanda excitari possunt ideae.

Neapoli, in monasterio Sancti Severini, die XXIV mensis Octobris 1710.

Eminentiae Vestrae

addictissimus servus
D. BENEDICTUS LAUDATI.

Visa supradicta relatione, imprimatur.

SEPTIMIUS PALUTIUS vicarius, generalis.
D. P. M. Giptius, canonicus deputatus.

II

## Del censore civile

Reverendus dominus Petrus Contegna videat et in scriptis referat.

Gascon regens, Biscardus regens, Gaeta regens, Rosa regens, Argento regens.

Provisum per Suam Excellentiam, Neapoli, 22 Octobris 1710.

Mastellonus.

Excellentissime Domine,

Legi librum, cui titulus: *De antiquissima Italorum sapientia ex linguae latinae originibus eruenda libri tres utriusque iuris doctoris Ioannis Baptistae a Vico, Neapolitani, regii eloquentiae professoris*; et non solum in eo nihil offendi contrarium bonis moribus ac regali iurisdictioni, sed miratus sum arcanarum rerum profundissimam eruditionem, Divinae naturae, quantum homini licet, distinctam ac vividam expositionem. Auctor vero huius cultissimi libri Dei vim, tam creatricem, quam universitatis rerum gubernatricem, optimis rationibus probat: germana philosophandi libertas pietate coniuncta ab eo summopere promovetur; principia rerum subtili ac facili ratiocinandi methodo explicantur. Quin proinde nobilissimum opus ut typis mandetur omnino censeo.

Neapoli, VII kalendas Novembris 1710.

Excellentiae Tuae

addictissimus famulus
Petrus Contegna

Visa supradicta relatione, imprimatur, et in publicatione servetur regia pragmatica.

Gascon regens, Biscardus regens, Gaeta regens, Rosa regens, Argento regens.

Provisum per Suam Excellentiam, Neapoli, 29 Octobris 1710.

Mastellonus.

IV

# POLEMICHE

RELATIVE

AL DE ANTIQUISSIMA ITALORUM SAPIENTIA

—

1711-2

I

## PRIMO ARTICOLO DEL «GIORNALE DE' LETTERATI D'ITALIA»

Fine principale di questo dotto signore si è il dare a conoscere quale sia stata la filosofia degli antichi popoli dell'Italia; e, perché ciò non si può dimostrare da' loro libri, non essendone veruno giunto a noi, donde apprendere ciò si possa, promette egli d'andarlo raccogliendo dall'origine e dal significato di vari vocaboli della latina favella. Imperciocché — dice egli nel proemio (p. 125), — postomi a considerar l'origini della lingua latina, molte voci io v'osservai cosí dotte, che certamente dall'uso del volgo essere provenute non possono, ma piú tosto da qualche dottrina intrinseca a quella nazione che le usava, non essendo inverisimile che arricchito sia un linguaggio di maniere filosofiche di dire, ogni qual volta molto siavi in uso la filosofia. Quindi è — conchiude — che gli antichi romani, essendo stati affatto d'ogni scienza sforniti infino a' tempi di Pirro, e per altro, senza intenderne la forza del significato, essendosi serviti di vocaboli pregni di filosofici sentimenti, egli è d'uopo che altronde dalle circonvicine nazioni abbianli appresi. E queste furono quinci quelli che professavano l'italica filosofia, colá trapiantatavi insino dall'Ionia, e quindi i vecchi toscani, i quali esso pruova essere stati molto dotti in ogni sorta di scienza, e principalmente nella teologia. Anzi è fuor d'ogni dubbio che da questi ricevettero i romani, non che le cose spettanti alla religion degli dèi, ma ancora la favella e le frasi usate da' pontefici nelle sacre cerimonie.

Divide egli questa sua opera filosofica in tre libri, cioè a dire, in *Metafisica*, in *Fisica* e in *Morale*. In questo primo libro, ovvero di *Metafisica*, intitolato al sapientissimo signore Paolmattia Doria, prendesi a trattar di quelle maniere di favellare, dalle quali conghietturar possiamo quali fossero l'opinioni degli antichi sapienti dell'Italia intorno al primo Vero, al sommo Dio e alle menti umane. E lo divide in otto capitoli, confessando di essere stato stimolato a porvi mano da tre suoi dottissimi amici, li signori Agostino Ariano, Giacinto di Cristoforo e Niccolò Galizia.

Primieramente egli afferma (p. 131) appo i latini questi due vocaboli « *verum* » e « *factum* » essere termini convertibili; il verbo « *intelligere* » significare il medesimo che « leggere perfettamente » e « conoscere con evidenza »; e 'l verbo « *cogitare* » significar ciò che noi volgarmente diciamo « pensare » e « andar raccogliendo ». E però e' conghiettura essere stata opinione degl'italiani antichi sapienti, in Dio essere il primo Vero, e infinito e perfettissimo, essendo lui e il primo facitore e il facitore di tutte le cose, e il suo Vero a lui rappresentando gli elementi delle cose tutte, sí estrinsechi sí intrinsechi. E, perché il sapere non è altro che un comporre gli elementi delle cose, e' conchiude che l'intelligenza è propria del solo Dio, il quale, contenendo in sé tutte le cose, legge, non che l'esterno di quelle, ma anche l'interno; lá dove è proprio della mente umana (la quale è finita e fuor delle cose) il solo pensare, cioè il raccôrre, non tutte intiere le cose, ma le sole estremitá e quel ch'è al di fuori, per dir cosí.

Quindi e' passa a dimostrare (p. 133) che, nel solo Dio essendo il vero perfetto, non abbiam noi scienza piú certa della teologia rivelata, cioè di quella che mediante la fede abbiamo ricevuta dal medesimo Dio. Iddio sa ogni cosa, contenendo in sé gli elementi, onde ogni cosa e' compone; ma l'uomo studiasi di sapere ogni cosa per via di divisione, sicché dire possiamo che la scienza umana sia come una notomia dell'opere della natura. Imperocché, per esempio, noi sogliam dividere l'uomo in corpo e in anima, l'anima in intelletto e in volontá, astrarre

